VITT EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
12 0
30
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
55
6 K
11
ROMA
N. 124
C. 4
S. E
O. 8
N. 6
12
13
L
9.

DE NATVRA ORTVS VIVENTIVM IN COMMVNI TRACTATVS

CAMILLI RVBEI A MONTE GRANARIO


Philosophi, ac Medici in Maceratensi Ciuitate Primarij.

AD ILLVSTRISS.VM ET REVER.VM

D. D. ALEXANDRVM

Strotium Archiepiscopum, ac Principem Firmanum.

CVI ACCESSIT EIVSDEM ORATIO habita in Almo Gymnasio Firmano Initio suarum Prælectionum Medicinæ Practicæ, quæ olim Typis impressa fuit Venetijs, Auctore Inscio.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MACERATAE, Apud Petrum Saluionum. M.DC.XIII.

De consensu Superiorum.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

D. D. ALEXANDRO STROTIO

Firmanorum Archiepiscopo, & Principi, Domino, ac Patrono Colendissimo.

Addictissimus Camillus Rubeus Fœlicitatem.

CVM hanc de Natura Ortus viuentium in Communi breuem tractationem (Illustrissime ac Reuerendissime Archiepiscope) ex Philosophiæ penetralibus in iuuenili mea ætate depromptam, necnon ex Doctissimorum Virorum per ea tempora assidua lectione selectam, ac sub Capitibus quibusdam in meo ab Vrbe Firmana in Patriam reditu congestam, in lucem ædere, ità ab Amicis coactus, statuissem, Mihi dubium non fuit, Amplissime atquè Optime Princeps, sub cuius nomine eam promulgare deberem; nam &

illam conſcribere,& tibi conſcriptam dicare, eodem tempore mihi venit in mentem: tot enim ac tanta ſe ſe mihi obtulerunt beneficia, quæ Tu, cùm primùm Firmanæ iſti Metropolitanæ Eccleſiæ præeſſe meritus es, in me, Meamquè Familiam contuliſti, ac in dies conferre videris, vt Cui Tractationem ipſam inſcriberem (præter Te Vnum) omninò cogitandi Occaſio mihi ſublata ſit. Accipias igitur, qua humanitate ſoles, has ce meorum iuuenilium olim ſtudiorum primitias, & ità accipias, vt ipſę per ſe humiles, & obſcuræ non modò ſplendore nominis tui illuſtrentur, verùm etiam à maledicorum hominum calumnijs pro ſumma tua authoritate vindicentur. Quod ſi Voti compos fuero (veluti ità fore confido) Deum Optimum Maximum deprecari nunquàm deſinam, vt Tibi Optimo Principi, Illuſtriſſimoquè Cardinali Bandino Auunculo Tuo Vitam diuturnam, atquè fœlicia, ſecundaquè omnia tribuere non dedignetur. Vale. Maceratæ, Pridie Idus Menſis Aprilis, 1613.

D E

DE STEMMATE
ILLVSTRISS. AC REVEREND.
D. D. ALEXANDRI STROTII
ARCHIEPISCOPI FIRMANI.

Torquatus Perottus à Saxoferrato, ad Lectorem.

AVreus hic clypeus quàm seria continet orbe:
Quæ Mare, quæ Cælum, quæ neque terra capit
Aeternæ Triadis Triuiæ sub imagine trina,
Si benè consideres; Symbola Lector habes.
Quòdque nitent trini nullo discrimine vultus;
Id reserat simili Numina Trina gradu.
Purpureusquè color medio qui fulget in orbe;
Igneus ille vigor, quo sinè cuncta ruant.
Si cui munificus Princeps post nobile gestum
Dat sobolis famulo signa gerenda suæ;
Quàm latus tanto graditur cumulatus honore,
Muneris & tanti gestit habere decus?
Aeternæ Triadis meruit qui Stemmata Præsul
Clarus Alexander, gaudia quanta refert?
O Dea si niteas Capitolia ad Alta Triformis;
Quàm fuerit rerum rectus in Orbe modus.

EXCELL. DOMINI
HIERONIMI CASTELLI.

AD AVCTOREM EPIGRAMMA.

DEVCALION gelido de marmore corpora sumpsit,
Pyrrhaquè: sic vatum carmina blanda canunt:
Dant alij flammis, atomisquè exordia vitæ,
Vnde alij, & vacuo semina prima ferunt.
At nouus Hippocrates, quo non præstantior alter,
Vnde trahat viuens limina vera docet.
Pandè CAMILLE fores vitæ, vitæquè perennis,
Nominibus pandes ostia clara tuis.

EIVSDEM
AD LIBRVM CARMEN.

QVID generet semen, quæ res viuentia putris
Prodeat in lucem, cœlesti imbuta calore:
Quid vita, & putre, & quid sit cum semine viuens,
Quo natura parens fundet primordia vitæ:
Parue LIBER pandis, quæ si te nulla vetustas,
Deleat, annorumquè graui situs obruat æuo
Numquam; dic quis liuor, quæ te lædet erymnis.
O Decus æthereas fama petis inclytus arces;
Picenum illustras clarus: sonat omnis vbique
Nomine Terra tuo, & famam vaga gloria cælo
Terminat, immensumquè ingens accedit Olympum.

EXCELL. DOMINI OCTAVIANI DE VECHIIS.

In Operis argumentum Epigramma.

DISTRIBVAT varijs veluti miracula rebus
Natura, & vires efferat ampla suas.
Quis putet humano posse en procedere partu,
Et fluit ingenio Docte Camille tuo?
Priscorum deducta tetris quo arcana tenebris,
Celsaquè mysteria hæc; quæ latuere patent.
Gaudeat Aeternum Mons sic Granarius ipso:
Gaudeat, & Picus: qui genuere patres.

EIVS-

EIVSDEM

Ad inuidum Detractorem.

ABDITA quòd pandat Naturæ arcana recludens,
Priscorum potis est quo renouare decus.
Quòd rerum simulacra colens, ortusque requirat
Non facit hoc Auræ: sed probitatis Amor.
Qui meliora potes: scribas, nam scripta legentur,
Qui minus Arcana hæc spernere, quæso, caue.

IN-

INDEX
CAP. PRINCIPALIVM,
QVAE IN HOC TRACTATV continentur.

DE intentione. cap. 1
De ordine obseruando. cap. 2
De generationis viuentium diffinitione, & primum de diffiniti explicatione. 3
De diffinitionis explicatione. 4
Alterius partis diffinitionis examinatio.
De subiecto generationis viuentium, & primum quotuplex sit. 5
Quomodò ex putrescente materia quæ est vnum viuentium subiectum, oriatur viuens. 6
Primum considerandum.
Secundum considerandum.
Quæritur, quod nàm sit generans animalia ex putri materia. 7
An præter Solem calor habeat vim generandi. 8
Opinio Benedicti Pererij, eiusque reiectio.
Opinio aliorum, & reiectio.
Opinio vera, & solutio rationis oppositæ.

An

An præter solem vegetalis Anima generet. 9
De altero subiecto viuẽtium quod est semen, & de eius natura. 10
De seminis temperie. 11
An in semine prædominetur magis Aer quam Aqua.
An in Oleo Aer, vel Aqua magis prædominetur.
Quare semen dicatur Albicans, spumosum, & crassum. 12
Numquid semen Animatum sit, vel inanimatum. 13
An semen sit Materia, vel Agens. 14
De virtutis generatricis in semine Natura, & primum de eius Encomijs. 15
Opinio Galeni, & fundamentum.
Reijcitur opinio Galeni.
Opinio Scoti, & fundamentum.
Reijcitur opinio Scoti.
Opinio ad Aristotelis mentem, & solutio rationum in contrarium.
Quomodo virtus in semine alteret semen. 16
Quomodo sanguis menstruus disponatur. 17
An virtus in semine producat prius organicum corpus, seu animam. 18
Numquid partes Organicæ simul omnes generentur. 19
De primo genito in corpore organico, an sit Cor cum Aristotele, vel Epar cum Galeno. 20
Vtrum Mas, & fęmina concurrant Ambo actiuè. 21
Opinio, & Rationes Galeni.
Opinio Aristotelis, & Rationes.
Solutio Rationum Galeni.
De Morte. 22

Capita omnia sunt numero 22.

INDEX
COPIOSVS EORVM
QVAE IN BREVI
Hoc Tractatu
DE NATVRA
ORTVS VIVENTIVM
In communi visa sunt digna.

A

A Communioribus ad minus communia. pag. 5
Accidens non generare substantiam. pag. 19
Accidens virtute substantiæ generare substantiam. 22
Accidentia in concreto dicunt formam, & subiectum. 9
Animal est animal per sensum tactus. 5
Animal, & homo non simul fiunt. 5
Animalia ex materia à quo generentur. 17
Animam prius generari, quàm corpus organicum. 53
Anima est actus corporis organici. 8
Anima est actus, quomodo intelligatur. pag. 37
Anima vegetalis, & sensitiua educitur de materiæ potentia. 6
Anima intellectiua deferis aduenit. 6
An præter Solem vegetalis generet. 23
An in Oleo prædominetur magis Aer, quàm

quàm Aqua. 31
Aristo. opinio quod cor sit primum genitum. 56
Aristot. & Gal. diuersitas in primogenito. 56
Aristo. contra Gal. feminam passiuè concurrere. 62
Aristot. reijcit opinio. quãdam de seminis temperie. 30

C

Calor fundatus cũ sicco est igneus. 15.
Calor mixti generat animalia ex cadauere. 22
Calor naturalis dicitur spiritus. 45
Calor in semine dicitur virtualiter anima vegetalis patris. 46
Caloris duplex diffinitio traditur ab Aristot. 50
Calor non est corpus organicum. 9
Calidum naturale, & spiritus esse animatos. 8
Calidum, & humidum sunt principales qualitates viuentium. 9
Calor solis est effectrix causa eorum quæ fiunt ex putri materia. 12
Calor mixti est causa eorum quæ fiunt ex putrescente cadaueree. 13
Calor duobus modis terminat. 51
Calidum est prima dispositio. 10
Cadauer nõ dicitur corpus organicum. 54
Cadauer putrescit opposito modo à putrescente terra. 16
Capiuaccei reprehensio in aliquos. 27
Capiuaccei conciliatio de primogenito. 58
Cęlum quomodo sit animatum, & inanimatum. 22
Cor esse primum genitum ex Arist. 56
Cor nutritur ex humore intrinseco. 57

D

Diffinitio est maximum fundamentum rerum. 2
Differentia inter semen, & sanguinẽ. 30
Differentia inter put. & corruptionẽ viuentium. 68
Differentia inter generationẽ ex semine, & ex putri materia. 24
Diffinitio generationis viuentium qualis. 2
Diffinitionis munus, & officium quod sit. pagina 3
De origine animarum vbi Arist. agat 6
Diuersitas inter oleum, & semen. 32
Dubitatur contra diffinitionem seminis. 28

E

Elemẽta, & mixta inanimata sunt. 2
Elementa cuncta putrescunt præter ignem. 16
Effectrix causa perfectior effectu. 20
Epar esse primumgenitum ex Gal. 56
Epar potest ali ex humore intrinseco. 57

F

Foetus alitur per venam vmbilicalẽ. 57
Forma dignoscitur per operationes. 7
Formatricẽ materialẽ esse colligitur. 49

Finalis

Finalis causa in seminis diffinitione. pagina 29

G

GEneratio Animalium qualis. 5
Generatio viuentium præcedit generationem non viuentium. 1
Generatio est mutatio secundum totum. pagina 7
Generatio viuentium quid. 4
Gal. opinio quod semina actiuè concurrat. 60
Galeni opinio quod epar sit primogenitum. 56
Gal. opinio de formatrice qualis. 41
Gal. opinio refellitur. 42
Gal. ratio soluitur. 48

H

HOmo prius viuit vita plantæ. 5
Homo hominem generat quomodò sit verum. 47

I

IAcobi Foroliu. opinio quod semen sit animatum. 33
Iacobi eiusdem opinio refellitur. 33
Ignis in terra putrescente est mitis, pagina 14
Intentio est agere de generatione in communi. 2
In semine prædominantur Aer, & Aqua. 30
In oleo reperitur viscositas. 32
In semine reperitur pars crassa, & aerea. 38

M

MAs & fæmina dupliciter considerantur. 64
Menstruus sanguis quomodò disponatur. 50
Medici quid agunt in depurando aere. 16
Medicorum opinio de calido innato reijcitur. 8
Mercenarius commendatur in dilucidationibus suis. 7
Mors opponitur generationi. 66
Mors quomodò fiat ex Platone. 10
Mors fit ab intrinseco, & ab extrinseco. 66
Mors ab extrinseco qua. 67
Mors naturalis quæ sit. 67
Mortis diffinitio qualis. 66

N

NAtura in productione fungitur officio pictoris. 47
Natura corporis organici qualis. 8
Nil agere vltrà proprium gradum. 20
Nùm diffinitio generationis viuentium sit vniuersalis. 4
Nùm partes organicæ simul generentur. 54

Oleum

O

Oleum est calidum, & humidum. 30
Opinio aliquorum qui tenent animalia produci à Deo. 21
Opinio vera de formatrice. 45
Operatio arguit formam. 6
Ordo obseruandus in tractatu. 3
Ordo reperitur in generatione partium organicarum. 55

P

Pererij opinio de Accidente. 10
Pererij opinio refellitur. 10
Planta sunt corpora organica. 8
Post mixtorum generationem sequitur generatio viuentium. 5
Putredo est in humido. 15
Putredo non est viuentium. 68

Q

Quare Anima non est actus corporis actu viuentis. 38
Quid sit primogenitum in corpore organico. 56
Quomodo virtus in semine alteret. 49
Quomodo calor assimiletur calori cœlesti. 45
Quomodo ex terra putrescente oritur viuens. 13
Quot modis calor viuentium corrumpatur. 66
Quomodo seminis diffinitio sit inuenta ab Aristotele. 25
Quotuplex est subiectum generationis viuentium. 12

R

Rationalis Anima non educitur de materia. 7
Rationes pro Arist. quod fœmina passiuè concurrat. 62
Rationes Gal. quod fœmina passiuè concurrat. 60
Rationes Galeni soluuntur. 64
Ratio efficax ad probandum semen esse calidum, & humidum. 33
Ratio Scoti de formatrice soluitur. 45

S

Scoti opinio de formatrice proponitur, & refellitur. 42
Semen quomodo procedat à toto. 28
Seminis diffinitio qualis. 24
Semen est excrementum. 25
Semen non est pars similaris, neque dissimilaris. 25
Semen non est præter naturam. 25
Semen est simile Oleo. 35
Semen non est alimentum. 25
Semen quomodo redditur album. 39
Semen est calidum, & humidum. 29
Semen quomodo spumosum. 3
Semen est excrementum vtile. 26
Semen liquescit à frigido. 33
Semen quomodo crassum. 33
Semen est sanguis dealbatus. 27
Semen non est actu animatum. 37
Semen quomodo dicitur viuens. 7

Solis

Solis calor non funditur in ſepulchris. 19

Sol eſt cauſa effectrix eorum quæ ex putredine fiunt. 18

Sol quomodo poteſt eſſe cauſa determinata. 17

Sol generat ob materiæ diuerſitatem. 17

Sol non eſt cauſa omnis putrefact. 19

Subiectum generationis viuentium duplex. 19

T

TRactatio de generatione viuentium digniſſima. 2

Terra non eſt corpus ſimplex. 13

Themiſtius dat naturam corporis organici. 8

Thomiſtarum conciliatio. 63

Totũ in diffinitione generationis eſt forma. 7

Terminatio eſt concoctionis ſpecies. 52

V

VEgetalis munus quale ſit. 23

Venus ex ſpuma orta. 33

Vis aſſimilatoria in ſemine. 61

Virtutis generatricis laus. 40

Vita ſinè ſanguine non conſiſtit. 56

Viuere eſt melius quàm non viuere. 1

Viuentia dicuntur per veget. animam. 5

Vita in calido, & humido conſiſtit. 10

Viuens dignitate præcedit non viuens. pag. 1

Viuentium generatio eſt vegetalis, ſed non omnis. 23

Vtrum mas, & femina concurrant actiue. 59

F I N I S.

CAMILLI RVBEI GRANARIENSIS,

DE NATVRA ORTVS VIVENTIVM IN COMMVNI TRACTATVS.

De Intentione. *Cap. I.*

INTER Cæteras ſpecies Ortus ſeù generationis in ſui maxima vniuerſitate ſumptas, ea generationis ſpecies, quæ rerũ Viuentium eſt, ſupremum locũ retinere videtur; propterea quod ſicuti Viuẽtia dignitate, & præſtãtia, ea, quæ nõ viuentia ſunt, maximè antecellũt, cùm hæc poſteriora per eorũ formas ſolùm eſſe, ideſt exiſtere, priora verò eſſe tale, ideſt eſſe cum vita aſſequantur, melius autem ſit viuere, quàm non viuere, vt rectè dicit Ariſt. 2. de generatione Anim. cap. 1. Ità generatio, quæ Viuentibus accommodata eſt, generationem elementorum, atq; mixto-

rum iuremeritò antecellit. cum tàm elementa quàm mixta inanimata sint, ac à suis proprijs formis existere tantùm consequantur.

Intentio quæ sit.

De hac igitur generatione, quæ in Communi viuentium est, cum simus tractaturi, quæ Tractatio, præter quàm quod dignissima est, pulcherrimas etiam speculationes continet, nedùm Phylosopho sed Medico, & Cuilibet etiam licterato Viro admodùm necessarias, diffinitionem, quæ maximum fundamentum omnium rerum est, traditam ab Arist. in libro de morte, & vita, Intentio nostra est enucleare, cùm dicit Arist. „ Generatio est participatio prima Animæ Vegetalis à Calido naturali, Vita „ autem est eius permansio. quæ diffinitio licet sit per se satis obscura, quin, & obscurior reddatur per Aristotelis Interpretes, qui nituntur ipsam magis dilucidare; Nos tamen omnes Conatus eò positos esse voluimus, vt, & diffinitio ad apertum, verioremquè sensum trahatur, nec non ea potissimum in contemplatione subiecti, huiusce generationis viuentium assumantur, quæ ad Aristotelis potius, quàm aliorum mentem consona diiudicentur. Age igitur, hęc de intentione sufficiant.

De

De Ordine Obseruando. *Cap. II.*

SI ex Aristotelis præcepto circà rerum diffinitiones valdè soliciti esse debemus, cùm diffinitionis munus, & officium, vt scribit ipse 4. phis. 31. sit rei essentiam declarare, secundò proprietates manifestare, tertiò tollere de medio omnes difficultates in re ipsa contingentes, meritò & nos omne studium, omnemq; diligentiam in proposita olim generationis diffinitione adhibendam esse putamus, tùm quià varijs est implicita difficultatibus, tùm quia ex ipsius completa cognitione origo naturæ nostræ viuentis in genere, & facilius, atq; illustrius internosci poterit. Verùm quoniam Ordo maximam vim habet, & efficaciam in rebus ipsis illustrandis, summa cum ratione; & hoc ordine à nobis progrediendum erit, quatenus in Sequenti Capite diffinitum considerabitur; deindè vniuersæ, & singulæ diffinitionis particulæ examinabuntur; Vt tandem in cæteris capitibus circà subiectum huiusce Ortus Viuentium prolixius digrediamur, cùm presertim in subiecto apud viros, & in re litteraria facilè Principes numerosæ, & maximæ quoquè altercationes obhoriantur.

Ordo qualis obseruãdus.

De Generationis Viuentium Diffinitione, & primùm De Diffiniti Explicatione.
Cap. III.

Diffinitio generationis.

GENERATIO est participatio prima Animæ Vegetalis à calido naturali. Vita autem est eius permãsio. Legitur hæc Diffinitio apud Arist. in lib. de morte, & vita, vt proptereà veniant declarãda duo, Diffinitum nempè, & Diffinitio. Diffinitum proponitur ab eo in primis

Diffinitum quod nã sit.

Verbis, dùm dicit, Generatio est participatio. Generatio igitur erit diffinitum. Verùm quoniam hæc toto sui ambitu comprehendit & complectitur plurimarum rerum generationem, illud primo Animaduertendum est, nùm generatio hoc in loco sit diffinita Vniuersaliter, comprehendens tàm generationem viuentium quàm non viuentium, vt potè elementorum, atquè mixtorum. Cui quæsito facilè responderi potest, quòd generatio hic diffinita non est in sui maxima vniuersalitate accepta, sed tantùm est generatio, quæ viuentium propriè dicitur. Demonstrat hoc satis apertè diffinitio ipsa, inquit enim generatio est participatio animæ vegetalis, ergò diffinitio est illius generationis, quæ viuentium tantùm est, si quidem elementa, & mixta, quæ sunt non viuentia, minimè dicuntur animam ipsam vegetalem participare, sed tantùm formas proprias, quemadmodùm in hoc non est aliqua cõtrouersia. Præthereà ex Aristotelis progressu possumus illud comprobare, nàm volens Arist. in pertractando

Quæsitum in diffinito.

Solutio.

Prima ratio solutionis.

Secunda ratio.

ctando de generatione eam legem seruare, & ordinem quem proposuerat primo phis.4. & 57. videlicet à communioribus ad minus communia, primò ægit in 5. phis. de generatione in communi ad substantiam, & accidens: Deindè ad minus communia descendens ægit in primo libro de generatione, de generatione in communi ad elementa, & mixta. Posteà absolutò sermone de elementis in secundo libro de generatione, & de mixtis imperfectis in tribus lib. metheorum; ægit 4. metheorum de generatione mixtorum perfectorum, vt mixta sunt. Quarè hic optima ratione describere debuit generationem propriam quæ viuentibus adaptatur, inquiens, Generatio est ,, participatio animæ vegetalis, &c. Perstrinxit aũt diffini- ,, tionem ad animam vegetalem, quià nouerat post mixtorum generationem sequi generationem viuentium, vt viuentia sunt, & viuentia possunt dici viuentia per animam tantùm vegetalẽ; quamuis enim non adsit intellectiua, quamuis non adsit sensitiua, dicitur tamen planta viuere. Vt si vellemus vlterius generationem hanc in animalia ipsa referre, dicendum sanè esset, Generatio est participatio animæ sensitiuę à Calido naturali, statim enim ac est introducta sentiens anima, illicò est animal, iuxtà illud, quod scribit Arist. 2. de Anima 16. Animal est ,, Animal per sensum tactus; vt propterea alibi dixerit, ,, videlicet 2. de generatione Animalium 3. & rectè, ,, Hominem prius viuere vita plantæ mediantè anima ipsa ,, vegetali, secundò viuere vita animalis propter aduẽtum ,, animę sensitiuę in ipso; sicuti deniq; vita hominis, per ipsam animam rationalem, non enim inquit Phylosophus, ,, simul fit Animal & Homo. Et Hæc de Diffinito dicta ,, sint.

De

De Diffinitionis Explicatione. Cap. IIII.

COGNITA Natura diffiniti, deueniendum modò est ad generationis diffinitionem explicandam, quæ ità incipit. Generatio est participatio. Verùm quarè Arist. hac in parte non dixerit, est eductio potius, quàm participatio, facit sanè, quòd aliquo pacto dubitem. Si enim verè vegetalis educitur de materia, Clarius meo iuditio poterat dicere, generatio est eductio vegetalis, non autem participatio. Dicerem causam huius rei nullam aliam extitisse, nisi quod Arist. nondùm originem animę declarauerat, & propterea ipsum hoc loquendi modo vsum fuisse, quòd generatio sit participatio, non autem eductio; de ipsa enim animæ origine ex professo Aristot. posteà in 2. de generatione animalium 3. tractat; vbi dubitat, an omnes animæ educantur de materiæ potentia, an de foris aduenient, & in corpus immictantur: namquè cùm eò loci agat de generatione animalium agit etiam meritò de origine animarum, inquiens, quòd non omnes animæ educuntur de semine, quià vegetalis, & sensitiua educitur de materiæ potentia, anima autem intellectiua extrinsecus accedit, & vtitur ad hoc probandum ea ratione; omnis operatio quæcumq; illa sit, arguit formam, qualis ergò operatio, talis est forma, & formæ conditio, sed operatio vegetalis, & sensitiuæ non potest exerceri sine instrumento corporeo, ergò operatio vegetalis,

Quæritur.

Soluitur.

talis, & sensitiuę dependet à corpore, ergò, & forma, nam forma dignoscitur per operationes: Rationalis verò non educitur de materia, quia eius operatio non dependet à corpore, ergò extrinsecus accedit. Hoc idem scribit Arist. primo de anima tex. 16. si operatio à corpore dependeat, etiam, & forma; si verò è contrà à corpore non dependeat, etiam, & forma non dependet. Quoniam igitur hæc, quæ obiter dicta sunt, nondum erant declarata, forsan Aristoteles motus fuit ad dicendum, Generatio est participatio, & non eductio. Rationabiliter autem dicitur participatio; statim enim, ac semen participat animam, illicò dicitur viuens, sicuti prius, quàm ipsam participet, appellatur semen non viuens. Subdit, quòd generatio est participatio, sed prima, vt indicaret manifestè, quòd dicebamus in diffinito, nimirùm hanc diffinitionem esse viuentium; generatio enim viuentium, vt viuentia, participat primò animam vegetalem, & animam vegetalem supponit anima sensitiua; quarè hæc generatio meritò est participatio prima, quia cùm vegetalis in corpore aliquo est introducta, tunc dicitur corpus viuens, & viuentia primò generantur. Sequitur Arist. quòd generatio sit participatio seu eductio prima animæ vegetalis, & iurè dicit, animæ vegetalis, quia sicuti generatio, vt primo de ortu, & interitu cap. 3. scribebat Aristot. est mutatio secundùm totum, quòd totum non est, nisi forma substantialis specifica rei, quæ in generatione reperitur, & acquiritur, sicuti in corruptione deperditur; vt doctissimè explicabat Clarissimus Præceptor meus in suis nunquàm admodùm laudatis dilucidationibus. Ità hic dicendum est, quòd generatio viuentium est mutatio secundùm totum esse viuentium, quòd totum esse est anima sinè dubio vegetalis. Sequitur, à calido naturali. Quæ verba fuerunt in causa, vt aliqui ex Medicis dixerint calidum natu-

Explicatur Diffinitio.

Opinio aliquorum Medicorũ quòd calidũ naturale & spiritus sint animati.

Opinio Medicorũ reijcitur.

naturale,& spiritus esse animatos ex mente Aristotelis, si enim generatio viuentium,inquiunt, est participatio animæ à calido naturali, est iuremeritò perfectio calidi naturalis; probatur consequentia, quia anima est actus illius, à quo participatur, ergò anima est actus calidi naturalis. Verùm hi si considerassent ea,quæ scribuntur ab ipsomet Arist.2. de anima 6.quandò concludit, animam esse actum corporis organici, non ità de leui Arist.ipsum calumniassent, cùm enim in tex.4. dixisset animam esse actum potentia vitam habentis, vt ostenderet supremam conuertentiam inter potétia vitam habens,& organicum corpus, in eo tex. 6. inquit apertè, quòd anima sit actus corporis organici, sub ijs verbis. Tale enim vtiquè potentia vitã habens est instrumentale. Quinimmò, vt istud conspicuum fieret in stirpibus,& plantis, quæ licet essent corpora viuentia, & potentia vitam habentia,non tamen euidens erat esse corpora organica, ostendit argumento „ sumpto à plantis ipsis,inquiens,plantæ sunt proculdubiò „ corpora viuentia,quia nutriuntur, augentur,& sibi simi- „ le generant; & sunt etiam corpora organica, & partes il- „ larum dicuntur organicæ, quia habent folia, vt sint coo- „ perimento fructiferi, fructiferum verò,vt sit cooperimen- „ to seminis, habent radices persimiles ori animalium,quibus attrahunt alimentum, cùm ergò plantæ tàm diuersas habeant partes varijs operationibus inseruientes, sequitur, Plantas esse organica,& viuentia corpora, siquidem hæc est natura, & essentia corporis organici, vt habeat multiformes partes differentes complexione,figura, & vsu ligatas à natura ad exercendas varias operationes: & propterea Themist. in sua Paraphrasi in primo libro de anima cap. 9. colligebat naturam corporis organici ex eo, quod elementa,quæ similaria, & homogenea sunt, non habẽt diuersos vsus, & operationes,quia illis natura

non

non accommodauit diuersas partes. Modò, vt ad id, vndè digressi sumus, reuertamur, calor non est corpus organicum, qui preditus sit diuersis partibus, ergò non potest participari anima calido naturali, quia tunc esset sine dubio calor organicum corpus, & non quid homogenæum, sicuti est. Quarè sic existimarem, intelligendum fore Aristot. quòd anima participatur à calido naturali, non accipiendo calidum naturale, quod est animę instrumentum, sed ità nimirum, quòd anima participatur à Calido naturali, hoc est, à Corpore, seù subiecto disposito calido naturali; quemadmodum enim accidentia in abstracto dicunt formam simpliciter, ità accidentia in concreto dicunt nedùm formam, sed etiam subiectum, sicuti est calidum, quod cùm sit in concreto, dicit subiectum, & formam; ideò dicit, quòd anima sit actus corporis, seù subiecti denotati per hoc accidens in concreto, idest calidum. Nec eo contentus fuit tantùm Aristot. verùm etiam addidit, naturale; Vt demonstraret, quòd naturale sit vinculum, & ligamen, vt per ipsum conseruetur anima in corpore; educitur nàmque vegetalis anima mediante calido, quòd est subiectum, non quodcunque, sed determinatum calido naturali. Vt putereà aliàs scribebat 2. de anima. 26. Actus actiuorum fiunt in patiente benè disposito. Similiter lib. de morte, & vita cap. 4. Dicimus enim vitam calore contineri, sicuti ceteræ species animæ: ergò non potest generatio viuentis effici, nisi disposita sit vegetalis anima per calidum naturale. Sed hoc in loco occurrit difficultas si dispositio non solùm est calidum, sed etiam humidum, quia hæc duo faciunt ad Animæ generationem, quarè fecit mentionē tātùm caloris, non autem humidi, cùm dicit, anima est participatio vegetalis à calido. Huic difficultati facile responderi posse arbitror, quòd quamuis hæc duo, calidum nempè & humidum

Quomodo calidum naturale accipitur in diffinitione.

Dubitatur.

Respondetur.

B con-

concurrant in animæ generatione, & sint principales qualitates, in quibus fundetur viuens; Tamen si hæc duo inter se comparentur, præcipuè magis concurrit calor, quàm humidum: quò vsquè enim calor conseruatur in Corporibus, conseruatur etiam humidum; ablato autem calore, humidum ex cõsequenti aufertur; nàm humidum absumitur, quia calidum naturale absumitur: quapropter existente calido naturali stat etiam humidum; propterea dicebat Hip. i. aph. 14. qui crescunt plurimum habent calidi innati, plurimo igitur indigent alimento, alioquin corpus ipsorum absumitur; quia calidum est prima dispositio, & hac eadem ratione Aristotel. prætermisit humidum, & fecit mentionem tantùm de calido. Vt sensus proindè exactus diffinitionis sit, Generatio viuẽtium est prima participatio, vel eductio animæ vegetalis à calido naturali, idest ex subiecto disposito calido naturali.

Alterius partis Diffinitionis Examinatio.

ET quoniam vita omnimodò dependet à calido, ideò „ subdit, Vita est permansio calidi naturalis, sicuti „ mors prouenit ex defectu caloris; vt propterea eandem veritatem cognoscens ipsemet Aristot. in lib. de longit. & breuit. vitæ, vitam in nullo alio consistere asserebat, quàm in calido, & humido; quia vita conseruatur ratione caloris administrantis alimentum, & partes ob alimentum, humidum radicale continent; ideò vita in calido, & humido consistit; quòd totum deprompsit Arist. à Platone in Thimeo, quandò explicans, quomodò fiat mors illa, quæ non violentia aliqua, sed per dissolutionem humidi à calido fiat, dicebat, quòd cùm corpus nostrum continuò in assidua sit resolutione ob actionem, nisi præstò

Vita in calido, & humido consistit.

Totũ ex Platone depromitur.

ſtò ei eſſet alimentum, cuius beneficio id, quod eſt deperditum, reſtaurari debeat, dubiò procul animal interitet: & hinc aſſerit, ſi maior eſt portio eius quod reſoluitur, quàm eius quod reponitur, Corpus noſtrum diminuitur, ſi verò repoſitio ſit maior eo, quod reſoluitur, corpus augetur; & tunc potiſſimùm fit auctio maior, cùm corporis ſtructura valida eſt, ac eius calor natiuus robuſtus, quippe qui Alimenta optimè comminuere, & in ſubſtantiam corporis nutriti vertere poteſt; Verùm progreſſu temporis cùm calor redditur imbecillior ob cōtinuam pugnam quam habet aduerſus alimentum, fit, vt fatigatus non ità validè alimenta cōcoquere poſteà poſſit; & hinc fit quòd partes minui incipiant, & hinc imbecilliores reddantur. Imbecilliores autem redditæ non poſſunt continere ampliùs humidum radicale, quod eſt nexus animæ cum corpore, & hoc eſt in tempore ſenectutis. Poſtremò ſubdit, adeò languidus redditur calor, vt nequaquàm alimentum admittat, & hinc partes poſteà relaxatæ ac deſtitutæ humorem ampliùs retinere nō poſſunt, & nexum; & indè fit, quòd anima clàm & cum voluptate è corpore euolet & mors naturalis cauſetur. Vt propterea non diſſentiens ab huiuſmodi veritate dixerit Ariſtot. Vita eſt permanſio calidi, ſicuti Mors ex defectu caloris prouenit. Et ſic (ni fallor) habetur verus, & germanus ſenſus diffinitionis generationis viuentium ab Ariſtotele allatæ.

De Subiecto generationis Viuentium & primùm Quotuplex sit.
Cap. V.

VENIO modò ad id, quod tertio loco polliciti eramus, quod sine dubio erit magis abstrusum, necnõ pluribus difficultatibus implicitum: Cùm enim generatio viuentiũ, vt diximus, sit eductio vegetalis à subiecto disposito calido naturali: Quærendum in primis est, quotuplex sit subiectum generationis viuentium: Et apertè huic quæsito satisfacit Aristot. 1. illo de generatione animal. inquiens, quod generatio viuentium duplex habet subiectum, quod inter se maximè differt: Subiectum enim aliud est semen, ex quo viuentia producuntur, sicuti infrà dicetur. Aliud verò est materia putrida; & animalia, quæ ex tali materia oriuntur, duum adhuc sunt generum, alia enim sunt, quæ ex cænosa Terra, & putrescente limo nascuntur; Alia verò, quæ ex mixto, & putrescente Cadauere producuntur; in quibus ambabus tamen productionibus materia putrida habet rationem subiecti, quamuis effectrix causa varia sit ex Aristot. qui Animalium, quæ ex putrescente materia innascuntur; modò Calorem Solis in terra, & Aqua diffusum, modo Mixti putrescentis Calorem Authorem, & causam assignat; quæ namquè ex cænosa Terra, & putrescente Aqua oriuntur, meritò à Calore solis suam originem ducunt, vt 3. de generatione animal. cap. vltimo Aristot. proponit, cuius verba hæc sunt. Itaquè calor

Subiectum ortus viuentium duplex statuitur.

Semen est subiectum.

Materia putrida est subiectum.

Effectrix causa duplex est eorũ quæ ex putrida materia fiunt.

Calor solis vna causa.

lor in Animalibus contentus ex alimento efficit hoc, Ca- ››
lor in Ambiente Aere contentus ex mari, aut Terra con- ››
cernit concoquens, atquè constituit; quæ verò ex mixto, ››
& putrescente Cadauere oriuntur, à calore mixti putre-
scentis producuntur, sicuti eiusdem fuit sententia 4. libro
Metheorum sub finem Capitis de putredine quando di- ››
cit, in his, quæ putrescũt Animalia fiunt, quoniam segre- ››
gata caliditas naturalis existens facit constare segregata: ››
Patet igitur, quomodo subiectum tantùm duplex est, vel
est enim semen, vel materia putrida. idest limus, & terra,
ac Cadauer, ex quo duplici subiecto Aristot. existimauit
viuentia plura oriri.

Calor mixti putrescentis altera causa.

Quomodò ex Putrescente materia, quæ est vnum Viuentium subiectum, oriatur Viuens.

Cap. VI.

VERVM illud non admodùm innotescit, quomodò ex putrescente limo, & Terra Viuentia ipsa oriantur, cùm viuens sit corpus mixtum, atquè perfectum, & mixtum non nisi ex corpore mixto oriri possit, sicuti ex simplici generatur tantùm simplex, vt scribebat Arist. 2. de generatione 50. ex iis nutrimur, ex quibus generamur, sed viuens non nutritur ex simplici, ergò non generatur ex Terra tantùm, quæ est corpus simplex; ‹‹
sed necessariò debet generari ex quatuor elementis, quia ‹‹
ex eisdem viuentia nutriuntur. Aliqui, vt satisfacerent
huic dubitationi, asseruere, Aquam esse vnitam cùm Ter-

Quæritur, quomodo ex putrescente limo & Terra Viuens oriantur.

Responsio Aliquorum.

ra,

ra, ac propterea Terram non esse corpus simplex, ex quo generetur viuens. Sed hoc dictum ridiculum est, cùm hæc duo, Aqua nempè, & Terra minimè sufficiant ad generationem viuentium, sed quatuor omnia elementa requirantur. Quarè, vt dubitationi satisfiat, illud asserendum est, quòd Animantium multa genera, vt Vespæ, Muscæ, & similia, oriuntur sinè dubio ex putrescente Terra, sed putrescens Terra nõ dicitur esse quid simplex, sed benè quid mixtum, & perfectè omnium elementorum; námquè cum Terra putrescente cõmiscetur Aqua, nec in hoc est aliqua difficultas: præterea commiscetur Aer, quem Communiter asserunt reperiri in Aqua, & Terra. De igne dubium est, tamen in rei veritate asserendum est etiam reperiri ignem, quia in Aqua reperitur portio ignea, quæ nil aliud est, nisi portio Terræ adusta, quam propriè scribebat Arist. in libris Metheorum esse materiam Cometarum, & hanc esse exhalationem non accensam, licet calidam & siccam; quò fit, vt rationabiliter concludere possimus, in Terra reperiri Aquam, Aerem, & Ignem, qui ignis in Terra non est accensus & ardens, sed mitis & blandus; non secus ac dicimus in seminè ipso reperiri quatuor elementa: Tamen in semine non reperitur ignis ardens, sed ignis mitis, qui habet vim, & rationem generandi: Et propterea Concludendum in Terra reperiri quatuor elementa; vt nil mirum si ex ipsa tanquàm ex Materia commixta ex quatuor elementis generetur Animalia dicta. Quod licet sit Luce Solari Clarius, Lubet tamen illud Aristotelis Authoritate corroborare, qui ità ad verbum scribit 3. de generatione Animal. cap. 11. In terra putrescente reperitur humor, in humore reperitur Spiritus, in spiritu Calor, ità vt omnia videantur Anima plena. In quibus Verbis manifestè demonstrat, reperiri in terra putrescente quatuor elemen-

Reijcitur responsio.

Responsio vera.

Conclusio.

Cõclusio cõfirmatur Authoritate Aristot.

Authoritas Aristotelis perpenditur

elementa, & ex horum commixtione Animalia ipsa generari: Sed Age in hoc loco Duo consideranda veniunt.

Primum Considerandum.

Primum considerandum in Authoritate adducta

CVR Arist. dicit pro generatione horum Animalium, quæ fiunt ex putrescente materia, in Terra reperitur humor; & non dicit, in Terra, quæ est frigida, & sicca reperitur humor, præcipuè cùm ex sicco constet calor, nàmquè calor est siccus. Huic quæsito ità satisfaciendum esse dijudicamus, quòd Calor, qui fundatur cum sicco, est igneus, & intensus, & ex consequenti est causa Corruptionis; non autem generationis; vt propterea Galenus dixerit, febrem esse calorem Igneum absumentem humidum; E contrà verò calor ille, qui fundatur in humido, quod humidum dicitur esse pabulum caloris naturalis, est calor blandus, mitis, attemperatus, & est causa generationis, non corruptionis; vt superiori capite innuebamus, quem calorem attemperatum considerans Aristot. rectè dicebat: in Terra reperitur humor, sicuti idem asserebat 4. metheorum cap. de putredine, dicens; Putredo est in humido; non dicit autem in sicco, respiciens ad mitem istum calorem fundatum in humido, tanquàm in pabulo.

Secundum Considerandum

Secundum considerandum in Authoritate adducta.

EST, quòd cum Animalia, vt Vespæ, & Vermes, ex duabus materijs putridis generentur, vt aliàs sermo erat, quarum Materierum vna est putrescens limus, altera verò est putrescens ipsu Cadauer. Hæc duplex materia non habet vnam & eandem putredinem, sed diuersimodè

simodè dicitur putrefieri; namquè Terra tunc putrescit, quandò miscetur cum Aqua, & alijs Vaporibus; vt Hinc Medici conspicientes Aerem impurum, accendunt maximum ignem, vt Aer ipse depuretur; sicuti legitur apud Galenum lib. illo de Ther. ad Pis. cap. 16. Hip. per totam Ciuitatem ignem accendisse in peste illa ex Aethiopia ad Græcos veniente, & quandoquè etiam integra nemora combussisse: Cadauer verò putrescit, non per aliquam mixtionem, sed opposito modo dicitur putrescere à putrescente Terra, & est nimirum per dissolutionem humidi à sicco, idest Terræ ab Aqua; vt propterea in Cadaueris putredine efficiatur dissolutio in pulueres, & Terram, & hoc per dissolutionem humidi à sicco; vt rectè proponebat Arist. 4. metheorum. sed cùm putrescit Terra, Aqua, & Aer; non efficitur resolutio in pulueres, sed dicit Arist. propriè secundum partem corrumpuntur elementa, quia omnia elementa sunt materia ignis, solus autem ignis non putrescit, quia non est materia alicuius elementi; Terra verò patitur, similiter Aqua, & Aer permixtionem ignis, Ignis verò non patitur permixtionem alicuius elementi, quia propter sui maximam actiuitatem dissipat omnia, & ideò non putrescit: Cætera verò elementa putrescunt, quia recipiunt permixtionem ignis. Diuersum igitur est genus putrescentis limi à Cadauere. Sicquè satisfactum iri Arbitror primæ dubitationi propositæ, quomodò Animalia ex putrescente materia generentur.

Quæ-

Quæritur quodnam sit Generans Animalia ex putrimateria. Cap. VI.

CVM Omnis actio præsupponat Generans, quæritur ad præsens, à quo generentur animalia ex putrimateria orta. Satisfacit huic quæsito optimè Arist. 3. de generatione animal. 11. inquiens, quod Sol dicitur Causa effectrix producens calorem, ex quo calore posteà Animalia ipsa generantur. Hoc idem innuebat etiam Magnus Comentator Auer. 12. diuin. 18. dicens, Solem esse causam effectricem eorum quæ ex putredine oriuntur. Sed illicò instabit aliquis, si quidem Sol non potest esse causa determinata Ranæ vel Muscæ, quia est causa vniuersalis; Vniuersalis autem causa, dicebat Arist. 2. phisic. 38. est effectus vniuersalis, ergò præter Solem requiritur etiam ad generationem horum Animantium alia causa particularis; & falsum est asserere, quod Viuentia ex putrimateria generentur à Sole. Quæ sit hæc Causa, ab Arist. non assignatur. Indagandum igitur venit, quomodò Sol potest esse horum Animantium causa determinata. Causa autem elici potest, sicuti innuit Vir Clarissimus ex Recentioribus, ex Arist. eo 3. de generatione Animal. Cit, quandò inquit, „in Mari multa copia „portionis terrenæ reperitur, quæ circiter indurescit, & „cogitur eo modo, quo ossa & Cornua, & hinc Animalia „testacea generantur. Ex quo loco elicitur complerè ab ipso causa ad mentem Aristotelis propter quam generantur hæc Animalia testacea, nimirum Conchæ, Ostreæ, & similia. Dicit enim quia in Mari exuberat portio terrena;

Quæritur de causa generante animalia ex putrimateria.

Respõdetur cum Arist.

Instantia pulchra.

Soluitur instantia & assignatur causa

rena; hinc est, quod generantur huiusmodi Animalia, quasi dicere velit ex humido terrestri generari Animalia dura, sicuti causa volatilium Animalium dicitur esse humidum leue, & tenue, & ex hoc humido leui, & tenui Volatilia Animalia generari, vt sunt Vespæ & Muscæ. Quò fit igitur, vt Sol cùm infundat calorem suum in hæc inferiora, generet ipse diuersa Animalia propter diuersitatem materiæ quæ reperitur, vt verbi gratia, si Sol agat in multam portionem terræ, quæ exuberet, generentur Terrestres plantæ & Terrestria Animalia & dura; præcipuè si agat in terram duriorem: si verò agat in Terram leuem, oriantur Tenuia Animalia, vt Vespæ & Muscæ, quæ ex humidi tenuis copia generantur: si verò humidum sit paulò crassum, Tunc generantur Vermes, quæ sunt paulò crassiora Animalia. Idquè non ex alio prouenire putandum est, quàm ex diuersitate materiæ; namquè variatur actio agentis propter variam dispositionem, & qualitatem materiæ. Et propterea dicimus Plantas & Animalia testacea non posse vllo pacto generari ex Cadauere, sed solùm Vespas, & Muscas; & consimilia; eò quia sic materia exigere videtur: Et in hac generatione concurrit Sol, Calor, & Terra putrescens, non secus ac in generatione Animantium ex semine, in qua concurrit Pater, Calor, & Semen: Et sicuti se habet semen in generatione Animantium ex semine, ità se habet Terra putrescens in generatione Animantium ex putrescente Terra: Vndè in generatione Viuentium ex semine rectè dicitur Patrem esse causam principalem, in generatione verò ex Terra putrescente Sol est causa principalis: Pater dat virtutem formatiuam quæ per Aristot. est spiritus & Calor existens in semine: Sol etiam producit virtutem formatiuam, & est Calor: Semen est causa generationis, simi-

similiter Terra putrefcens est in putrefactione causa generationis.

An præter Solem Calor habeat vim generandi.
Cap. VIII.

VERVM illud minimè est recipiendum in hac parte, quod Sol sit Causa omnis putrefactionis, quia aliqua putrefactio benè verum est, quod efficitur per Solem, aliqua verò non; præsertim in ea putrefactione, in qua generantur Animalia, verbi gratia in Sepulchris, quando ibi non concurrat Sol, & proptereà dicimus Animalia quæ generantur ex putrescente Cadauere non generari à Sole, quia Calor Solis non fu nditur in sepulchris, sed generantur hęc Animalia sicuti docet Arist. 4. metheorum cap. de putredine: dicit enim in putredine segregatur calor & hic cùm sit impotens, existit tantùm validus pro vnione humidi cum sicco, & sic Animalia generantur non ex Sole sed ex dissoluta & segregata caliditate putrescentis Cadaueris. Sed contra hanc veritatem insurget aliquis, Calorem esse accidens, & ex consequenti accidens nullo modo posse generare substantiam, & proptereà Animalia ex Cadauere non generari à Calore mixti. Quod si quis respondeat calorem benè esse accidens, sed virtute substantiæ posse generare. Illicò quærendum à nobis est quæ sit hæc substantia, cuius virtute calor mixti Cadaueris generat. Non possumus asserere Calorem agere in virtute animæ quia in Cadauere non est anima.

Calor Solis nō est omnis putrefactionis causa.

Calor mixti putrescentis est causa eorū quæ fiunt ex putrescente cadauere.

Dubitatio satis ardua & fundamētū.

Responsio Aliquorum.

Reiicitur.

Nec dicendum agere in virtute cadaueris, quia est inanimatum, ex inanimato autem non potest generari animatum. Itaquè calor nullo modo generat.

Opinio Benedicti Pererij, eiusque Reiectio.

Solutio ex Pererio.

SI consideremus ea, quæ scribit Benedictus Pererius inter Modernos Præclarissimus, facilè tolleremus dubitationem propositam: inquit enim quod accidens propria virtute substantiam efficere potest: alienum namquè est, accidens non posse generare substantiam, sicquè nulla est cum ipso difficultas, quomodò oriantur ex calore cadaueris Animalia. Verùm Hæc sententia, quamuis sit Doctissimi, & præclarissimi Viri, aliena est ab Arist.

Pererij solutio refellitur duabus rationibus.

& Duo sunt, quæ illud persuadent. Prima ratiò est, quod extat sententia Arist. satis Vulgata, nihil posse agere vltrà proprium gradum, sed accidens est multò imperfectius, quàm substantia animata, ergò accidens non potest vllo pacto producere animatam substantiam: Confirmatur, impossibile namquè est, quod effectus sit præstantior sua causa, semper enim effectrix causa est perfectior effectu, quia causa vel est vniuoca, vt quando hominem hominem generat, & tunc equaliter perfecta; vel equiuoca, & tunc causa est præstantior effectu, sed si accidens proprijs viribus posset substantiam generare; tunc accidens esset causa, substantia verò esset effectus, ergò substantia producta esset nobilior causa quæ producit, nimirum accidente, quod dicebamus substantiam generare. Secunda ratio est, quod si accidens propria virtute posset generare substantiam, ergò sequeretur, quod esset Otiosa Vegetalis anima in Animantibus ipsis, quod est contrà Arist. in libris illis de Anima; Ostendo, Animæ Ve-

Prima ratio Adu. Pererium

Cõfirmatur.

Secunda ratio aduersus Pererium.

Vegetalis munus est nutrire, idest restaurare substantiam, augere quantitatem, & generare aliam substantiam; iàm verò si calor proprijs viribus potest generare, ergò potest nutrire, idest resarcire partē deperditam, & ipsam adaugere, ac consequenter generare, ergò si istæ operationes possent à Calore prouenire, ergò superflua anima Vegetalis; hoc est falsum, ergò falsum etiam est asserere, quod accidens possit generare substantiam.

Aliorum opinio, & Reiectio.

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA ... VITT. EMANUELE

ALII vt tollant huiusmodi dubitationem, inquiunt, quod huiusmodi Animalia non generantur per se à calore sed producuntur à Deo Optimo immediatè, calor autem disponit materiam; qua disposita statim à Deo infunditur Anima in Animalibus illis ex putrimateria productis.. Opinio ista non potest vllo pacto substineri; sicuti perbellè refellitur à Mercenario; substinet enim quod Deus producat formam, & calor disponat materiam, ergò aliud inquit, esset agens disponens materiam, & producens formam, quod opponitur omnimodò Arist. 7. Diuin. 28. nàm Plato ponebat agentia separata propter generationem formarum: Arist. autem redarguit hac in parte Platonem, quia in substantijs idem est agens introducens formam, & disponens materiam: Opinio autem proposita coincidit cum sententia Platonis, ergò sicuti Ratio Aristotelis concludit contrà Platonem ità etiam contrà opinionem propositam; detur oppositum si solùm calor disponit materiam, sequitur quod Theorema Aristotelis, idem est agens introducens formam & disponens materiam, erit falsum, quia dicet Plato, & prædictæ opinionis sequaces, aliud est agens introducens formam, & aliud disponens materiam, si ergò

Opinio aliorum.

Refellitur opinio à Mercenario Authorit. Arist. efficaci.

gò debet consistere authoritas Aristotelis, profectò corruit opinio dicta.

Opinio Vera, & Solutio Rationis oppositæ.

Opinio vera ad Arist.mẽtem.

DIcendum igitur pro huius rei veritate, quòd Animalia quæ oriuntur ex Cadauere putrescente ex Aristotel. sententia 4. metheorum capit. de putredine in fine, oriuntur ex calore Cadaueris putrescentis, nàm inquit Arist. caliditas dissoluta ex cadauere putrescente facit vnire humidum cum sicco,& sic generat Animalia illa. Ad instantiam respondeo, quod accidens virtute substantiæ potest generare: cùm autem quæritur, quæsit hæc substantia, in cuius virtute agit calor: Dico, non esse Animam, quia Anima in Cadauere non reperitur, nec esse Cadauer ob rationem allatam. Sed dico calorẽ generare ista Animalia virtute Corporis cælestis, sicuti elicitur ex Arist. 1. Metheorum dicente, ista inferiora à superioribus lationibus conseruari. Quod si quis obijciat, Animalia non posse generari ex inanimatis, & Cęlum est inanimatum; Soluitur, & Dico, quòd Cęlum potest dupliciter accipi, vno modo pro Mole hac, quam videmus, seù orbe, & sic est inanimatum. Alio modo accipitur pro agregato ex orbe & intelligentia, & sic est viuens; & ex hoc producuntur ista Animalia.

Ad fundamẽtum respondetur.

Instantia.

Solutio.

Nota vnum.

Ex quibus sic propositis colligimus hoc summa Animaduersione dignum, nimirum, Animalia, quæ oriuntur ex Cadauere putrescente, licet producantur tanquam à causa instrumentaria à calore illius mixti, tamen producuntur à calore corporis mixti, & putrescentis, quátenus fouetur ille calor à calore Solis, qui reperitur in aere ambiente, quod sic non est dicendum de illis Animalibus

quæ

quæ oriuntur ex Terra putreſcente, nam huiuſmodi Animalia tamquàm à cauſa inſtrumentaria generanturà calore Solis, quia calor ordinatur à corpore Cęleſti. Hoc autem Corpus Cęleſte eſt cauſa principalis, virtute cuius generantur Animalia, & ex putreſcente limo, & ex putreſcente Cadauere, nàm quæ generantur ex putreſcente limo, vt notat Auer. in 12. Methaſ, 18. generantur à calore Solis diffuſo in Terra & aere, tanquàm à cau ſa inſtrumentaria: illa autem, quæ generantur ex Cadauere putreſcente non generantur à calore Solis tãquàm à cauſa inſtrumentaria, ſed vt dicit Ariſt. 4. Metheorum loc. cit. generantur ex calore ex Cadauere putreſcente; ità tamen quod omne viuens neceſſariò producatur à viuẽte.

An præter Solem Vegetalis Anima generet. *Cap. VIIII.*

ARIST. 2. de Anima 34. inquit, quòd generare eſt opus Vegetalis Animæ; augere enim nutrire, & generare ſunt operationes Animæ Vegetalis, ergò generatio viuentium eſt operatio vegetalis, ergò non poteſt pendere à Sole, ſed benè à vegetali Anima. Reſpondetur tamen quod non omnis viuentium generatio eſt Animæ vegetalis, ſed illa, quæ fit mediante ſemine, illa Animalia generantur ex Anima vegetali: & ſic intelligitur Ariſtotel. quod generatio viuentium quæ fit ex ſemine, eſt Animæ Vegetalis, ſed Ranæ, Muſcæ,

Dubitatur.

Reſpõdetur.

&

& consimilia Animalia producuntur non ex semine, sed ex putrimateria, & per consequens horum Animalium generatio potest non esse Animæ vegetalis. Hinc colligitur differentia inter generationem quæ fit ex semine, & generationem ex putrimateria, quia ea Animalia quæ ex putrimateria sunt, imperfecta, mutila, ac spontè orta dicuntur quarè sibi simile secundum speciem non generant; quæ verò ex semine, perfecta sunt, non mutila aut spontè genita, quarè sibi simile procreant, vt visus est sentire Arist. 2. illo de Anima 34. dùm loquens de operationibus animæ vegetalis, inquit, naturalissimum opus viuentium est sibi simile procreare, & hæc imperfecta non sunt, neque orbata aut sponte genita, volẽs his verbis omninò excludere ea quæ ex putrimateria oriuntur. Patet igitur diuersitas.

De Altero Subiecto Viuentium quod est semen, & de eius Natura.

Cap. X.

NVNC Tempus est, vt me conferam ad eam Viuentium generationem, quæ ex semine tanquàm ex Materia fit: Et quoniam hæc generatio exactè cognosci non potest, nisi quid sit Semen, explicetur; Natura Seminis in primis est explicanda. Aristotil. 1. de ortu Animal. 18. proponens Seminis diffinitionem, in hæc prorupit verba. Semen est excrementum vltimi alimenti: quæ diffinitio hac Via ab Arist. eo loci inuenta est.

Diffinitio Seminis.

est. Supposito prius Animalia oriri ex semine; Tunc sic. Semen aut est pars Animalis; aut non est pars; si pars vel naturalis, vel præter naturam; Et si naturalis, vel similaris vel dissimilaris: Si verò non est pars, ergò erit vel alimentum, vel liquamentum, vel excrementum, non Reperio alios modos traditos eo loco citato ab Aristot. Probat primò, quòd non sit pars similaris, vel dissimilaris hac ratione: Pars similaris & dissimilaris reperitur in omnibus Animalibus, namque ex his duabus partibus integratur totum Animal, infert minorem, sed in omnibus Viuentibus non reperitur semen, ergò semen non est pars similaris neque dissimilaris, probat minorem, eò quia in pueris & senibus non reperitur semen; & si reperitur, est satis infecundum. Neque in Morbo laborantibus; carent enim inquit Arist. ægri propter imbecillitatem: senes quia non satis eorum Natura potest concoquere: Pueri autem propter Incrementum, Ergò verissimum est illud, quod non omnia Viuentia habeant hoc semen. Accedit etiam non esse partem præter naturam, quia semen reperitur in plerisque Animantibus, hæc autem pars præter naturam in paucis reperitur: Restat igitur, quod semen non sit pars, ergò vel alimentum, vel liquamentum, vel excrementum: Non est alimentum, quia alimentum est, quod extrinsecus ingeritur, semen verò non extrinsecus accedit, sed in Animali intrinsecus generatur: Accedit quod alimentum non excernitur; semen excernitur. Deindè semen est Animalis principium, & à quo Animal suam habet originem, alimentum est quid aduentitium, & post Animalis generationem ad ipsius conseruationem accedens.

Quomodo ab Arist. sit inuenta diffinitio seminis.

Semen esse excrementũ probatur.

Semen non est pars similaris neque dissimilaris.

Semen non est pars præter naturam.

Semen non est alimentũ.

Neque asserendum est esse Colliquamentum, quod sanè nil aliud est, quàm quòd ex partibus Animalium

Semen nō est colliquamẽtum.

ab ingenti æstu & calore absumitur, sicuti inquit Aristot. Veteres ipsi opinabantur semen esse hoc Colliquamentum. Reddit autem rationem quià ex his quæ sunt præter naturam non generatur aliquod secundum Naturam, Colliquamentum est præter naturam, quia est morbus; & rectè quià medici substinent Colliquationes nedùm esse præter naturam, sed toto genere præter naturam, & secundum Galenum lib. 3. epid. com. 3. tex. 57. Colliquatio est signum patognomonicum febris pestilentialis, ergò colliquamentum non potest esse semen quod est secundum naturam. Maior huius rationis non probatur ab Arist. possumus tamen nos ità philosophari, ex his quæ sunt secundum naturam potest fieri aliquod præter naturam, nàm ab agente secundum naturam generantur Monstra, sed non è contrà. Ratio est, quià quæ sunt secundùm naturam posſunt quandoque aberrare, & aberrando producere imperfectum, sed quæ præter naturam sunt, non generant quæ secundum naturam sunt; quià imperfectum non generat perfectum. Relinquitur igitur omnimodò, quòd semen est excrementum: Hoc duplex est, vel inutile vel vtile; probat quod non sit inutile, eò quoniam hoc excrementum reperitur in omnibus, etiam in ijs, qui vel ætate vel morbo pexime se habet; semen autem minimè reperitur in omnibus, erit ergò excrementum Vtile, & maximè quia confert ad Conseruationem speciei, & quoniam hoc vtile excrementum potest esse duplex, primum & vltimum, primum vtile excremẽtum est chilus seù pituita quià ex vlteriori coctione conuertitur in sanguinem, & ideò semen cum non conuertatur in sanguinem, sed ex sanguine fiat, non est excrementum vtile primi alimenti sed vltimi, quià vt icit, loco habet Arist. & 2. de part. anim. cap. 3. & 4. iuxtà eius sententiam vltimum alimentum est sanguis. Et

Semen non est excremẽtum inutile.

Semen est excrementũ vtile.

sic rectè concluditur esse reliquias vltimi alimenti idest, sanguinis, quod sanè experientia ipsa testari potest, qui enim immodicè vtuntur Venere, vsu venit quandoquè vt sanguinem ipsum eijciant, quod est inditium satis validum ad probandum quod semen sit excrementum sanguinis. Hinc sumit occasionem excellentissimus Capiu. redarguendi illos qui per vltimum alimentum intellexerunt humiditates alimentales; siuè enim vltimum alimentum, inquit, statuatur humiditas rorida uel apposita uel aglutinata, hæ humiditates non possunt amplius regredi tempore coitus, id quod multò minus de aglutinata cogitandum est quià in uasis seminarijs circà principia euidenter conspicitur sanguis, qui posteà in semen mutatur, sicuti in coitu immoderato etiam sanguis eiaculatur. Per excrementum ergò utile intelligi debet sanguis.

Semen esse sanguinis excrementum probatur.

Verùm non est semen excrementum, sicuti cætera excrementa, ut melancolia, collera, pituita; quæ in ipsis concoctionibus ex necessitate generantur, sed appellatur semen Reliquies sanguinis, hoc est, sanguis superabundans, seù superuacaneus: quia Natura accipit eum sanguinem qui idoneus est pro uiuentis nutritione, & sanguis qui ab ipsa nutritione exuberat, appellatur excrementum, & hoc conuertitur in semen. Semen igitur est sanguis redundans dealbatus.

Probat Aristot. quod sit sanguis redundans, eò quoniam in pueris, in laborantibus morbo & senio non reperitur semen, nàm in Pueris est calor plurimus, qui absumere potest substantiam sanguinis, & ipsum conuertere in Viuentis substantiam, in ægrotantibus non est sanguis redundans, similiter in sene, quia Calor in his est debilis, & non potest generare sanguinem. Item semen esse sanguinem redundantem sed dealbatum pro-

babat Arist. 2. de gen. Anim. 2. præcipuè ex spiritus mixtione, ut propterea satis rectè increpauerit Herodotum qui dixerit Aethiopes nigram genituram obtinere ut cùm cutis in ijs nigra sit, sic cuncta nigra uideantur, cum tamen eorum dentes albos esse cernere quoque Herotus potuerat, & subdit causā albedinis seminis in id quod genitura spuma est, quæ alba sui natura existit sed infrà hoc melius explicabitur. Verùm aduersus hoc quod dictum est, posset aliquis dubitare, nàm si semen est excrementum utile ultimi alimenti idest sanguinis, tunc sanguis esset excrementum chyli, nàm sicuti semen dicitur excrementum quia fit per vlteriorem coctionem, ità sanguis esset excrementum chyli, nam ex vlteriori coctione chyli fit ipse sanguis. Nisi dicamus quod sanguis ea ratione qua non excernitur à corpore sed retinetur, neutiquam potest dici excremeutum: contrà in semine, quod cùm sit vtile & eijciatur, debet dici excrementum sanguinis: modò non sequitur sanguinem esse excrementum chyli ob dictam causam.

Dubitatur.

Soluitur.

Colligitur seminis Natura.

Concluditur igitur optima ratione hanc esse Naturam seminis, quod semen est corpus non simplex, sed mixtum ex quatuor elementis, quod est excrementum vtile vltimi alimenti, idest alimenti sanguinei, ex quo tanquam ex materia ex qua generari semen proponebat etiam Galenus primo de sem. 12. & 2. de sem. 4. quod alimentum sanguineum est vltimum quod in membra distribuitur, vt si secundum hanc rationem dixerimus procedere à toto, quià & à toto procedit sanguis, non malè dixerimus. Et causa huius est, quià sanguis vt habet rationem vtilis excremēti, si procedit ab vna tantum parte, pars illa summum detrimētum percipit, quià sanguine nimis priuatur; at minus incommodum sentit, dum sanguis non ab vna tantum parte sed à toto procedit.

dit. Hoc respiciens Hip. & cum eo Gal. lib. 2. d. sem. cap. 2. & 5. dicebat semen prodire à toto ab omnibus partibus & ab omni humore, idest, à sanguine in toto corpore contento. Destinatum à natura propter conseruationem speciei. Quæ particula, cum apertissima sit, non eget explicatione, sicuti Arist. ipse docet primo de Animalium ortu 18.

De Seminis Temperie. Cap. XI.

EXPLICATA Natura seminis in Capite præcedenti, vt eius Natura exactè magis habeatur. Quatuor à nobis sunt Consideranda. Primum est quæ sit temperies seminis, numquid frigidum & siccum, vel calidum & humidum semen dicatur. Secundum erit, vndè semen habeat, quod dicatur Albicans, spumosum. & crassum. Tertium numquid animatum aut inanimatum sit. Quartum numquid concurrat semen vt materia, vel vt agens. Quò ad Primum in ordine. Vt aperta omnibus reddatur seminis temperies, recurrendum illicò est ad vsum vel finem propter quem genitum est semen; Indè enim aperietur & detegetur magis temperies. Semen ideò factum est, vt ex eo Animantia generentur. Et quoniam generatio viuentium, vt suprà dicebamus, est participatio Animæ à Calido naturali, & per generationem acquiritur vita: ex hoc colligitur facillimè temperies seminis; nàmque vita consistit in calido

Quę sit semi nis temperies.

Semen ē calidū & humidum.

lido, & humido, ergò & ſemen debet eſſe calidum & humidum à prædominio, & per conſequens Aereum, cùm eius temperiei ſit aer; hinc commodè Animalia generantur; & vitam etiam traducere poſſunt. Si enim generatio viuentium eſt ex calido & humido, ergò & ſemen huius naturæ eſt; vt propterea meritò Ariſtot. 2. de generatione Animalium cap. 2. redarguerit Cteſiæ Cnidij Philoſophi, qui ſcripſerit ſemen Elephanti quandoquè ità obdurari, vt dicatur ſimile electro, nàm arbitrabatur Philoſophus iſte, ſemen eſſe frigidum, & ſiccum ideſt, Terrenum. Reijcit Ariſt. huius Opinionem, quià non omnia ſemina habent equalem craſſitiem, cùm ex eius ſententia ſit ſemen calidum & humidum, ideſt Aereum, vt quamuis aliquando cònſpiciatur craſſum ſemen, tamen illud etiam conſpicimus, & experientia comprobatur; vt ſtatim ac emiſſum eſt, & commoratur ſub aere, ſemen conuertitur in aquam, & liqueſcit, vt à prædominio aquæ reperiatur. quod ſi ignis vel terra prædominaretur, tunc ſtatim ac emiſſum eſt, remaneret terrenum, & non aqueum; hoc autem eſt contrà experientiam ipſam; Concludendum igitur eſt, quod aer, & aqua prædominantur in ſemine. Declarat Ariſt. exemplo, nàm ſemen eſt ſimile Oleo, quod ſicut Oleum eſt calidum & humidum à prædominio, ità etiam ſemen: Ex his apparet differentia ſatis manifeſta inter ſemen & ſanguinem, quià licet ſemen ſit reliquies ſanguinis, ideſt, ſanguis redundans in nutritione, tamen diuerſatur à ſanguine, nàm benè ſanguis eſt calidus, & humidus, cùm in hoc conſiſtat Vita, tamen differt in hoc, quià ſanguis eſt à prędominio terræ, vt docet Ariſtot. 4. meteorum 41. vbi ſcribit in ſanguine prædominari terram, in ſemine autem aqua, & aer tantùm prædominantur: propterea ſemen non dicitur eſſe nutritioni

Differentia inter ſemen & ſanguinē.

ido-

idoneum, ſanguis autem ſic, quià eſt à prædominio terræ.

An in ſemine prædominetur magis Aer quàm Aqua.

VErùm aliquis dicet quamuis ſemen ſit ſimile oleo, quià conueniunt in eodem temperamento. Dubium tamen in hoc loco eſt, quid magis prædominetur in ſemine, an aer, vel aqua; Cui dubitationi reſpondendum ſanè eſt, quod in ſemine magis prædominetur aer, quàm aqua: & ratio ea eſt, quià mixta illa, in quibus magis prædominatur aqua, ità ſe habent, quòd à frigido coagulantur, & ſoluuntur à calido, ſed ſemen non concreſcit à frigore, ſed potius contrarium euenit, quià quàm primùm ſemen emiſſum eſt, eſt craſſum; poſitum verò ſub aere, incipit diſſolui, & liqueſieri, ergò non prædominatur magis aqua quàm aer.

Quæritur. Reſponſio.

An in Oleo Aer, vel Aqua magis prædominetur.

PRÆTEREA adhuc aliquis dubitaret, cum ſint ſimilia Oleum & ſemen in temperamento, quia Oleum cùm nutriat flammam, eſt calidum, & humidum. Quæritur vtrum ſicuti in ſemine aſſerimus plus aeris prædominari, quam aquæ, ità etiam poſſimus affirmare in oleo. Ex vna parte videtur, quod in Oleo magis aer prædominetur, quam in ſemine, & per conſequens magis calidum ſit Oleum, quia ſi hæc ambo accipiantur, & in aquam proijciantur, videmus apertè, quod oleum ſupereminet, ſemen verò deſcendit ad infernas partes aquæ, ſed id quod ſupereminet, eſt leue, & magis aereum, quòd

Quæſitum. Opinio aliquorum.

verò

verò descendit, è contrà. Ergò sequitur, quòd oleū sit magis aereū quàm semen. Ex alteria parte ratio videtur contrarium persuadere, quæ aquea magis sunt, coagulantur à frigido, & soluuntur à calido, Sed oleum inspissatur à frigido, liquescit verò à calido, vt patet sensui ipsi, Semen verò incrassescit à calido, à frigore verò liquescit, ergò in oleo prædominatur magis aqua quàm aer. Prò resolutione dicendum in hac re, quòd quamuis semen, & Oleum conueniant in hac temperie, quòd ambo sint calida, & humida, discrepant tamen in hoc, quia in semine abundat plus aer quàm aqua; In oleo verò è contra magis aqua quàm aer. Ratio ea est, ni fallor, quoniam semen incrassatur à calido, liquescit à frigido; sed quæ incrassantur à calido, & liquescunt à frigido, sunt à prædominio aeris, Semen est huiusmodi, ergo aer in semine plus dominatur. E contrà verò videmus in oleo, quia oleum liquescit à calido, & incrassescit à frigido, ea propter asserendum est in ipso magis aquā redundare quàm aerem. Ad instantiam verò dicendum est, quod hæc diuersitas inter oleum, & semen est, quòd in oleo reperitur quidam lentor, & quædam viscositas, ratione cuius partes olei non facilè permiscentur, nàm scribebat Aristot. quæ miscentur, debent diuidi in partes, vnde euenit, quòd in oleo propter viscidiratem, & propter lentorem aer non ità facilè possit dissipari; At semen non est ità viscidum, non est eo lentore affectum, & propterea calor potest dissipari, & effluere. Hinc est, quod si ponatur semen sub aere, liquescit, nàm amictit calorem, & remanet aqua; Proindè videmus, quod descendit ad infernas partes aquæ propter deperditum calorem in ipso. In oleo autem remanent spiritus, remanet calor. hinc est, quòd videmus ipsum supereminere & ascendere. Sed quid pluribus? si apertè semen esse calidum,

Opinio ex aduerso.

Resolutio quæsiti.

Respondetur ad instantiam.

& hu-

& humidum ostendere possumus ex eo, quoniam semen vt suprà dicebamus, dicitur esse sanguis redundans, sanguis redundans est temperamenti calidi, & humidi, ergò calidum & humidum est semen, vt mirandum propterea non sit, si Arist. 2. de generatione Animalium 2. dixerit semen compositum esse ex spiritu,& aqua, vt ratione spiritus sit calidum, ratione autem aquæ sit humidum.

Ratio efficax ad probandũ semẽ esse cal.&humidum.

Quarè Semen dicatur Albicans, Spumosum, & Crassum. Cap. XII.

ALBICANS censendum est semen, nàm quamuis semen fiat ex sanguine, qui alioquin materia rubea est, tamen vt ità albicans redderetur, necessarium fuit, vt strenuè magis concoqueretur, quod fieri non poterat, nisi à vasorum spermaticorum & testium virtute robustissima, quorum vasorum spermaticorum, & testium caro alba existit, vt proindè summa vis appareat. Accedit etiam hoc fieri propter mixtionem aeris cum aqua, vt experientia docet Arist.de niue,de spuma, quæ albæ sunt propter hanc aeris cum aqua permixtionem. Dicitur spumosum quià cùm spuma fiat ex aqua, &aere, concurrente, vel calore, vel motu, vel vtroque, vt propterea in mari videamus vndas spumosas ex concussione aeris cum aqua, meritò semen dicitur spumosum, quià est ex mixtione aeris cum aqua, sicuti suprà

Semẽ quarè generatur Albicans.

Semẽ quarè generatur spumosum.

innuebamus, quando semen dicebamus esse à prædominio aereum, & aqueum: & proindè Gal. primo de sem. 5. & 14. de vsup. 5. respiciens ad hanc mixtionem seminis ex materia vt appellat ipse, vaporosa & humorosa, infert semen esse spumosum, vt eo loci propterea non prorsus derideat fabulas Poetarum attestantium, Venerem ex spuma ortam esse: & ratio est in promptu, quià omnes causæ ad spumam efficiendam concurrentes in vnum coeunt ad seminis productionem, nàm ex Gal. locis cit. cùm spuma fiat ex materia vaporosa & humida, tanquàm ex materia ex qua, concurrente vel calore, vel motu, uel vtroque, tanquam causa agente, constat in semine spiritum adesse, adesse humidam materiam, atque calorem, & motum, vt potissimum moueatur, & incalescat tempore coitus. Dicitur autem crassum semen ratione caloris, quem in se continet, vt propterea statim emissum appareat crassum, sicuti positum sub aere, videmus ipsum liquescere: & ideo Arist. dicebat 4. metheorum, quæ liquescunt à frigido, incrassescunt à calido, & è contrà: Sed semen liquescit a frigido, ergò incrassatur a calido. Semen igitur rectè dicitur crassum propter calorem.

Semen quarè crassu.

Sed aliquis statim quæret. Cur liquescat semen a frigido, in hoc enim videtur esse aliqua difficultas, quià in quibus prædominatur aqua, congelatur à frigido, ergò & semen deberet ità esse quod à frigido deberet congelari.

Quæritur.

Dicimus, semen liquefieri à frigido, non ob aliam causam, quàm propter priuationem causarum à quibus incrassatur, nimirùm propter caloris absentiam: & hæc est causa quarè fundatur semen, & liquescat positum sub aere.

Soluitur.

Num-

Numquid Semen Animatum sit, vel Inanimatum. Cap. XIII.

INTER Medicos Iacob. Forol. eius extitit opinionis in hac materia quod actu Anima vegetalis, & sensitiua reperiatur in semine ex quo posteà traducatur ipsum viuens; excipit autem semen humanum, quantum ad animam rationalem, si quidem de hoc non est disputatio: Ratio autem ipsius prima est, quòd cùm apertè videamus viuentia generati ex semine, non poterat animo consequi, quod semen esset inanimatum, cùm ex inanimato nequaquam fiat animatum.

Iacobi Forol. opinion.

1. Ratio.

Prætereà subdit, semen esse consimilium partium, ac propterea, si non esset actu animatum, non posse ex ipso tantam generari organorum diuersitatem. Sequitur igitur, quod semen sit animatum.

2. Ratio.

Hæc sententia nullo pacto substineri potest secundum Arist. quià Aristot. mouet dubitationem hanc in secundo de generatione Animal. 3. & resolutè asserit, in semine actu non reperitur Anima sed potentia omnes Animæ reperiuntur. Fundamentum Aristotelis illud extitit, ni fallor, quod prolatum fuit ab ipso, secundo de anima, vbi diffinit Animam esse actum corporis organici, sed semen non est corpus organicum, ergò semen non est animatum.

Opinio Refellitur. Primò.

Prætereà Aristot. dicit primo de generatione animalium 18. Animam esse actum partis viuentis similaris,

Secundò.

vel diſſimilaris. Semen non eſt huiuſmodi, ergò non eſt actu animatum, probatur minor, quià ſemen non augetur, non nutritur, neque fungitur operationibus animæ, ideò dicitur non actu animatum, ſed benè in potentia: propterea Ariſt. 2. de anima 10. declarat Animam eſſe actum corpporis naturalis potentia vitam habentis, & inquit, cùm dicitur potentia vitam habens, non dicitur corpus, quòd abijciat animam, ideſt quod non habeat animam, ſed dicitur eſſe actus corporis naturalis habentis animam, ſed potentia vitam habens, ideſt ad operationes vitæ exercendas. Modò ſemen non habet Animam, quià ſemen nondùm eſt adeptum vitam; ſimiliter Cadauer quià amiſit animam, non dicitur actu animatum. Hinc eſt, quod clarius in eodem contex. declarans, quod nàm ſit corpus, actu non habens animam, inquit, ſemen autem, & fructus: nimirum ſemen eſt huiuſmodi corpus. Ex quo loco ignoro ſanè, an clarius poſſimus colligere quod Anima non ſit actus ſeminis; quod quidem actu non habet animam, ſed Anima, ait, eſt actus corporis naturalis habentis animam, ergò Anima non eſt actus ſeminis.

Dubitatur.

Dubitatur tamen, quià Anima dicitur actus illius de cuius potentia educitur, iàm verò Anima traducitur de ſeminis potentia ergò Anima dicitur eſſe actus ipſius ſeminis.

Reſpōdetur.

Fortaſſe vi huius rationis quandoquè D. Thomas exiſtimauit, quòd Corpus naturale poſitum ab Ariſtot. in diffinitione animæ ſit altera pars compoſiti, videlicet, materia, & non agregatum ex forma & materia; ex corpore videlicet & anima; Sicuti poſteà exactius conſiderans verba Ariſtotelis in tex. dicentis, quòd anima eſt actus corporis: apertiſſimè dixit, quod anima non diffinitur per corpus, quod eſt altera pars compoſiti,

ſed

ſed benè diffinitur, inquit, per corpus, quod eſt agregatum, ſicuti ſe habet in rei veritate, cùm ponatur in diffinitione animæ corpus viuens, non corpus, quod eſt materia: Vndè quando dicitur animam eſſe actum illius de cuius potentia educitur, educitur de ſemine, ergò eſt actus ſeminis. Reſpondetur veriſſimum eſſe, animam eſse actum illius de cuius potentia primò educitur, ſed non educitur primò de ſemine ergò non poteſt eſse primò actus illius, & ratio, ni fallor, eſt, quià forma, & anima debet eſſe actus illius quod primò, & per ſe reſpicit; vel illius ad quod primò ordinatur, ſed primò anima non reſpicit ſemen, nec ordinatur ad illud, ſed benè reſpicit corpus viuens, quià anima eſt cauſa, & cauſa refertur ad ſuum cauſatum; iàm verò cauſatum animæ eſt compoſitum, & corpus viuens; & forma vnitur materiæ, vt indè reſultet compoſitum, ergò primò reſpicit compoſitum. Accedit, quòd forma dicitur, quòd quid eſt eſse rei, ſed anima non eſt, quòd quid eſt ſeminis, ſed eſt quod quid eſt compoſiti, ergò eſt actus compoſiti, nimirùm corporis actu viuentis, non ſeminis. Hinc poſteà ex hoc eſse, quod dat anima ipſi compoſito, ſecundariò dari poteſt eſſe ipſi ſemini ſeù materię quoniam materia exiſtit ad exiſtentiam compoſiti.

Ex hoc colligendum ſemen ſinè dubio non eſse actu animatum, quià ſemen eſt corpus huiuſmodi abijciens animam, & licet producat animam, quià ſemen dicitur cauſa effectrix corporis animati, & traducit animam de potentia ad actum, tamen ſemen dicitur virtualiter animatum, quià in eo reperitur quædam virtus & facultas formatrix quæ proportione correſpondet calori cæleſti ex Ariſt. primo de generatione anim. 3. quoniam ſicuti in calore cæleſti eſt virtus traducens ranam de materia, ità etiam in ſemine eſt talis virtus. Quod ſi quæras, quarè

Colligitur ſemen noneſſe actu animatum.

Quæſitum.

quarè in animæ diffinitione non dixit animam esse actum corporis naturalis actu viuentis, quod fuisset magis clarum, quàm dicere, potentia vitam habentis, cum hoc egeat declaratione.

Soluitur.

Respondetur maxima cũ ratione illud factum fuisse ab Aristot. vt ostenderet, quod anima per se non respicit corpus actu operans, ità vt anima dicatur esse perfectio corporis actu operantis, sed quod anima respicit primò viuens actu. Secundò verò respicit corpus operans.

Ad rationes seù obiectiones Iacobi inferius respondebitur, dum rationes Scoti diluĕtur loquentis de uirtute generatrice in semine.

An Semen sit materia vel Agens.
Cap. XIIII.

ARIST. 2. Phis. 31. inquit, semen Medicus consilians, & Pater respectu filij sunt causæ efficientes. Sed eod. 2. Phis. 61. & infrà, materia & efficiens non coincidunt in vnum, ergò si semen est efficiens, nequaquàm potest esse subiectum. Verùm in hac re illud adnotādum est, quod scribit Arist. 2. de generatione animalium cap. 3. quandò dicit, in semine est una pars crassior, & dicitur corpulentia seminis, quæ est mixtum ex quatuor elementis, & appellatur solidior pars in semine. Alia pars est aerea, in qua fundatur calor; tunc resolutè dicendum est, si consideretur semen hoc mixtum quò

Quomodò semen sit materia & agēs, explicatur.

ad

ad craſſiorem partem, ſemen ipſum concurrit, ut materia: Si uerò quò ad partem aeream in qua reperitur calor, ſemen ſinè dubio tunc concurrit, vt efficiens,& ſemen, vt aereum eſt,dicit Ariſt. quod traducit animam. Et proindè 2. de part. anim. 7. concurrere vt efficiens, dicebat ſemen eſſe generationis noſtræ principium, & primo de gen. anim.2. Marem eſſe animal quod in alio gingit; Sicuti inſuper aſſerebat, primo de gen. anim. 18. ſemen vim habere generandi & eſſe primam cauſam: Concurrere autem vt materiam ſecundum partem impuriorem, & craſſiorem, præter quàm quod euidentiſſimum eſt ſecundum Ariſtot. etiam Gal. ſcribere viſus eſt,quando primo de ſem. 6. dicit huiuſmodi impuriorem partem degenerare in membranas & inuolucra fætus. Quinimò è ſententia Hippocratis eod. referente Gal. cap.1.l.1. de ſemine, concurrit ſemen, & vt agens, & vt paſſum ſeù materia è qua fit fętus. Spiritus ſeminis cui vis eſt ſumma, rationem habet agentis; Altera autem ſeminis pars, nimirùm excrementum vtile, ſeù ſanguis habet rationem materiæ. Secundùm diuerſas igitur partes conſideratum & acceptum ſemen habet rationem agentis, & habet rationem materiæ.

De

ximi Potentiæ adſcribenda meritò ſint; vt propterea Dauid Pſalmo 118. iurè cęcinerit, Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me; Sanctus etiam Iob eiſdem quaſi verbis corporis vniuerſi plaſmationem Deo Authori tribuit. Sed quid viros Sanctos commemoro; cùm Galenus ipſe Humani Corporis Fabricam admirabilem in Deum, tanquam in Authorem referat, & illius in pangendo corpore, in connectendis membris, in diſponendisuè poteſtatem, prouidentiam, ſapientiam, vbiquè admiretur. Sic & Ariſtot. 2. de generatione Animalium .i. Cęlitus in nobis principium duci adſtruxit. Quamobrem Deum Benedictum tanti Operis effectorem & Architectum ſumma cum laude ac veneratione prædicemus. Et quæ ſit hæc virtus, in ſequenti Capite Declaremus.

Opinio Galeni ac Fundamentum.

Galenus de Formatrice hac loquens 2. de temp. vltimo inquit apertè Ariſt. ancipitè extitiſſe, an virtus iſta eſſet Deus, vel aliquod aliud diuerſum, nimirùm conſurgens ex qualitatibus ipſis, & ſubdit, ſuam proponens opinionem, rationabile eſt Calidum, frigidum, humidum, & ſiccum organa eſſe, formatorem verò Alium; admodùm enim temerè de rebus maximis alij aliter pronuntiant, & ſolis qualitatibus formandarum partium cauſam aſſignant, & ea fortiſſimum ratione fuit perſuaſus, quià virtus illa dicitur abſtracta, quæ non operatur per aliquam corporis partem, neque minus vtitur corporis aliquo inſtrumento, vt teſtatur Ariſt. 2. de generatione animalium 3. hoc eſſe munus potius materialium corporum: Sed virtus iſta exiſtens in ſe-

Opinio Galen. de formatrice in ſemine.

Ratio Galeni præcipua.

F mine

mine non agit per aliquam corporis determinatam partem, nec minus vtitur corporis aliquo instrumento, ergò erit virtus separata & abstracta, non autem materialis.

Reÿcitur Opinio Galeni.

Galeni opinio reijcitur fundamento valido.

EX alia parte ratio videtur cõtrarium suadere, quòd nimirum virtus formatrix in semine non sit virtus separata; namquè certum & euidens est, quod virtus formatrix in semine transmutat materiam; & ex hac materia traducit animam; Sed nulla virtus separata potest materiam transmutare, fundamentum est illud, quià alteratio fit per contactum; Alterans enim non alterat subiectum, nisi tangat subiectum, & hoc dicit Arist. 7. phis. oportet, quod sint simul alterans, & alteratum; & probatur etiam quià alteratio fit per qualitates, ergò agens & patiens ità se habent, quod debent introducere in subiecto qualitates, & tangant etiam illas, aliter non potest res se habere, ergò alteratio certum est, quòd fit per contactum, contactus est corporum ex primo de generatione cap. de contactu quià contactus est corporum quæ habent extrema simul iuncta, ergò incorporea virtus & separata non potest tangere subiectum, sed virtus formatrix alterat semen, ergò virtus illa non potest esse virtus separata seù intelligentia abstracta vt dicebat Galenus.

Opinio Scoti, & Fundamentum.

Scoti opinio de virtute formatiuæ in semine.

SCotus in 2. Sentent. Dist. 18. fuit eius opinionis, quòd in generatione animantium duo concurrant agentia, quorum vnum sit virtus alterans. Alterum verò sit uirtus producens animam uiuentium: Et quoniam

virtus

virtus alterans non poteſt fieri ſinè generante; Dicit Scotus, ſi loquamur de uirtute primo modo, dicendum eſt, quod uirtus alterans dicitur eſſe calor, qui reperitur in ſemine, ſed inquit, quod ſic calor non producit animam uiuentium, ſed animæ omnes producuntur à Deo Optimo, nàm Deus producit uegetalem, ſentientē, & intellectiuam, ſed de intellectiua non eſt dubium, quià producitur à Deo; ſed uult, quòd uegetalis & ſenſitiua producantur etiam per creationem à Deo optimo, & intrinſecus immictantur in calorem illum diſpoſitum.

Fundamentum Scoti præcipuum illud fuit, ſi uiuentia uel anima produceretur à calore, uirtus illa uel erit calor, uel anima, uel alia forma ſubſtantialis: ſi dicatur calor, ſic non poteſt producere ſubſtantiam, cùm calor accidens ſit: Non eſt anima, quià ſemen non nutritur, & non eſt, ut dicebam ſuperius, animatum: Si dicatur tertium, ideſt forma aliqua ſubſtantialis, inanimatum non poteſt producere animatum, ergò aſſerendum omninò eſt, animas non poſse produci à ſemine ſed à Deo.

Fundamentum Scoti.

Et quoniam aliquis reſpondere poterat, quòd licet calor ſit accidens, ac ut accidens ſubſtantiam non producat uirtute nimirùm propria, tamen poteſt producere uirtute Patris, ità quod calor ſit inſtrumentum, quo mediante ſubſtantia ipſa producatur.

Reſponſio aliquorum.

Videns Scotus huiuſmodi reſponſionem reijcit ipſam ea ratione, ſi quidem inſtrumentum neceſſariò mouet, eò quià mouetur ab agente principali, ſicuti calor, qui exiſtit in aliquo uerbi gratia corpore, producit benè carnem, ſed mediante anima: tunc ſic, calor in ſemine non eſt coniunctus cum patre, quià fieri poteſt, ut Pater eiaculet ſemen, & ſtatim pereat, ergò calor in ſemine non

Reſponſio reijcitur.

potest agere uirtute Parentis, cum à Parente moueri non possit; ergò relinquitur, quòd anima producatur ab externo agente separato, sicuti Deus est.

Reÿcitur opinio Scoti.

Scoti opinio refellitur.

SEntentia hæc Scoti nequaquàm Peripatetica est, & Ostendo duobus præcipuè fundamentis ex Aristot. ipso depromptis, sicuti sunt duo ipsius dicta.

Et primum est, quià dicit Scotus, quòd in semine duo sunt agentia, quæ diuersificantur, nimirum virtus alterans, & est calor: & virtus producens animam, & est Deus: ergò aliud est agens alterans semen, & aliud producens animam, dicit Scotus. Hoc expresè est contrà Arist. 7. methaf. 28. ibi enim reijciens Platonis sententiam, vt superius innuebam, inquit, idem est agens disponens materiam, & producens formam, ergò falsum asserit Scotus, quando inquit, quòd per hæc diuersificantur.

Secundum fundamentum est, quià dicit Scotus, quòd disposita materia Deus per creationẽ introducit sensitiuam, & vegetalem. Tunc sic, si hoc esset verùm, sequeretur, quòd vegetalis, & sensitiua deforis aduenirent in materiã sed consequẽs est falsum, ergò & antecedens, falsitas cõsequẽtis probatur ex Arist. 2. de gen. an. 2. vbi expresè inquit nõ oẽs animæ extrinsecus introducuntur, sed partim intrinsecus, vt vegetalis & sẽsitiua, partim extrinsecus vt intellectiua, quæ deforis tantùm aduenit. Derelinquo alias rationes quæ possent adduci aduersus Doct. subtilem, cum hæ duæ satis esse possint.

Opi-

Opinio ad Aristotelis mentem, & Solutio rationum oppositarum.

DIcendum igitur pro solutione, quod idem est agẽs introducens formam, & disponens materiam, & per consequens, quòd eadem virtus seminis disponat materiam, & traducat animam.

Opinio vera ad Aures Aristotelis,

Ad illud autem quod inferebat Scotus, vel ista virtus est anima, vel non: satisfacit Arist. 2. de generatione animalium cap. 3. quandò inquit, in semine reperitur aliquod quod fęcunda facit semina, & hoc calor est, cuius natura correspondet stellarum elemento, nempè calori Cęlesti; vt sicut Sol educit ex terra animam, ità in semine calor similis soli ex semine generat animantia. Dicendum igitur, quòd virtus ista est calor naturalis, qui dicitur spiritus, & similis elemento stellarum. Appellat autem Arist. calorem spiritum, quià nulla adinuenitur differentia inter spiritum & calorem; Nec minus apud Arist. reperitur diuersitas illa spirituum, naturalium, vitalium, & animalium, quæ excogitatur à Medicis, sicuti enim vnus calor est sufficiens, ità vnus spiritus sufficiet, & non plures. Dicitur autem semen calor, in quantum alterat materiam, spiritus autem dicitur, in quantum calor debet intimas partes materiæ penetrare, non aliter ac ventus dicitur ab Aristot. spiritus in libris metheorum, quià penetrat. Dicit deindè Aristot. quod calor est persimilis calori cęlesti, non quod verè sit calor cęlestis sed inquit, quod est similis illi: Sicuti enim calor cælestis ex terra animalia generat, ità calor hic ex semine animantia generat, qui calor in semine disponit materiam, & introducit formam.

Scoti ratio soluitur.

Vndè ad instantiam Scoti sic respondeo, quod accidens

dens potest substantiam generare in virtute substantiæ; & cùm quærebat quæ nàm esset hæc substantia, Dico, quòd substantia est Pater, in cuius virtute dicitur calor agere, cùm à Patre semen emissum sit, & hoc innuebat Arist. primo de generatione animalium vltimo quàndo dicebat, quòd Mas concurrit, vt agens: & si quis quærat, quomodò est agens, Respondet ipse. Natura enim Patris producētis semen vtitur calore in semine existente, vt instrumento. Contrà, dicebat Scotus, hoc esse impossibile, quià instrumentum non agit agente principali separato.

Respondet Aristot. huic difficultati secundo de generatione animaliū primo, in ijs verbis. Soluere aūt oportet & cętera: quasi dicere velit, sicuti res se habet in rebus Artificialibus, ità in naturalibus etiam contingit; Sed in artificialibus ità contingit, sicut aliquis quandò proijcit sagittam, quæ dùm mouetur, non tangitur in fine à proijciente sed solùm in principio sufficit, vt imprimat virtutem is, qui proijcit: Ità dicit Arist. producit Pater semen, & tangit ipsum anima vegetalis Patris, & imprimit Pater virtutem semini, qua mediante potest semen agere: non igitur est necesse, vt in fine sit agens, sed solùm sufficit virtus illa, adeò quòd licet Pater sit absens, potest tamen semen agere, quià reperitur virtus impressa à Patre ibi in semine, sicut in sagitta. Calor igitur quamuis Pater sit absens, est virtualiter generans, quià agit uirtute patris, & calor dicitur uirtualiter anima uegetalis patris, quià agit in uirtute animæ uegetalis patris.

Dubitatio. Sed dubitatio statim exoritur, quià calor & semen est quid similare, non est corpus Organicum, quomodò igitur calor ex semine poterit producere corpora organica, nàmquè diuersitas in effectu præsupponit diuersitatem

tatem in causa, ergò si corpus est organicum, ergò ab organico corpore, non autem similari debet procedere, sed semen non est organicum sed quid similare, ergò & effectus similaris, non organicus procedere debet.

Soluitur ex Arist.

Aristot. huic difficultati tacitè respondet 2. de generatione anim. cap. 4. quandò inquit, quòd natura existens in semine producens animalia, vtitur officio Pictoris, dùm condit animal, sed Pictor in condenda statua, primùm describit figuram quibusdam lineamentis rudioribus, posteà ex varijs coloribus describit, & perficit statuam; Ità se habet calor in semine existens, primùm quibusdam rudioribus lineamentis disponit materiam ad quandam complexionem, & posteà varijs coloribus, idest varijs partibus decorat animal; ex quibus talis ratio elici potest. Ars est quid similare nàm non est insignita diuersis partibus, & tamen ars producit diuersas partes in figura, & hoc facit, quià Pictor agens arte, per artem describit figuram, ità tamen vt primùm concipiat figuram mente, quam vult describere. Tunc sic. Idea in mente Pictoris habet diuersas partes, igitur Pictor producit figuram ad extrà habentem diuersas partes, prò vt Idea est diuersis partibus ornata. Sic etiam calor in semine agit in virtute Ideæ, idest Parentis, & Pater est corpus organicum; quià igitur calor est virtualiter generans, & virtualiter habet diuersas partes: ideò producit corpora diuersis partibus insignita. Sed aliquis dicet, quomodò igitur verum erit dicere, quòd homo generet hominem, si Pater est mortuus, quomodò generabit filium Pater. Soluitur, quòd dum ab Aristotile, & communiter dicitur, quod homo generat hominem, sic intelligitur, quòd Pater, & Homo generat filium, quatenus Pater producit semen & semini tribuit calorem, ideò Pater non immediatè generat filium sed calor immediatè

Dubitatur rursus.

Soluitur.

mediatè

mediatè agit in generatione filij. Ex quibus sic enarratis facillimè diluentur rationes Iacobi Foroliuiensis superius adductæ, quandò probabat, quòd in semine actu reperiatur anima.

Ad rationẽ Gal. respondetur.

Sicuti quoque possumus respondere rationi Galeni, quòd vt inquit Aristoteles 2. de generatione animalium virtus dicitur esse materialis. Illud aũt non verè dicitur, ꝙ virtus non indigeat subiecto, neq; agat perpartem corporis determinatã. Immò cũ virtus hæc agit, indiget subiecto, quià si virtus debet generare, cer tum est, ꝙ transmutat semen sed transmutatio pendet necessariò à subiecto, est.n. impossibile transmutationem fieri sine materia, namquè motor nõ potest mouere & alterare sine subiecto ergò virtus pendet à subiecto quod transmutat & alterat. Præterea hæc eadẽ virtus nõ potest operari sine toto subiecto, nec sinè determinata parte subiecti, & seminis quià dicit, sicuti virtus transmutat totã materiã, ità tota transmutatio dependet à tota materia. Præterea operatur per determinatam corporis seù seminis partem, nàm anima vegetalis & sensitiua ità se habent, quod pars sentientis animæ traducitur de parte animæ; generatur enim cor ex parte determinata seminis, ergò ad hoc vt generetur pars animæ, oportet transmutare partem materiæ, sed vir tus illa non potest traducere nisi pendeat à subiecto. Illustratur exemplo, formæ elementorum non videntur agere per determinatam partem materiæ, tamen dùm istæ agunt, non possunt mouere sinè tota materia. Exemplum vegetalis, quæ in hoc habet quid commune cnm formis elementorum, quòd vegetalis quamuis præfinire videatur aliquod organum, siuè Epar, siuè Cor; Tamen tota vegetalis est diffusa per totum corpus. ità quod si debet nutrire, nutrit totum corpus, at hoc non potest agere sinè ministerio materiæ, & hu-

ius partis, quam nutrit & alit? Similiter dicendum est de sensu tactus, nàm tota anima sensitiua si debet mouere, indiget toto corpore, & determinata corporis parte. Notandum tamen, hoc esse verum de sentiente & vegetali, sed non potest accommodari exemplum de potentia Visiua, & auditiua, quià non diffunduntur per totum corpus. Ità se habet Virtus formatrix; nàm sinè tota materia non potest agere, neque quò ad partem actionis. Virtus igitur formatrix est materialis.

Quomodò Virtus in semine alteret semen.
Cap. XVI.

EXPLICATA Causa effectrice, quoniam generatio fieri non potest sinè præcedente alteratione, & per consequens si debet virtus ista in semine generare, debet procul dubiò alterare semen, hinc oritur consideratio, quomodò alteret virtus ista semen. Arist. 2. de generatione Anim. cap. 4. concisè admodùm se expedit, dicens. Semen maris cùm ingressum fuerit matricem fœminæ, purissimam constituit materiam excrementi ipsius fœminæ, nimirùm purificum reddit sanguinem menstruum mulieris, quoniam in hoc plurimum excrementi inutilis redundat. Et paulò post subdit, Maris autem genitura ità vnit, & coagulat sanguinem menstruum in vtero contentum, non secus, ac quandò coagulum apponitur lacti, nàm sicut quandò coagulamus lac, apponimus coagulum lacti, & per appositionem hu-

Quomodò virtus in semine alteret semen. Respõdetur ex Arist.

ius coaguli coagulamus lac; Coagulum enim est lac continens calorem vitalem, qui partes lactis vnit, atquè cõstituit: Ità semen maris se habet ad menstruorum naturam, nàmquè eadem natura lactis, & menstruorum est; hoc semen maris purificat sanguinem menstruum mulieris ab omni inutili humore, & vnit, & constituit sanguinem vtilem ipsius excrementi.

Verùm quomodò fiat hæc vnio, ab Aristotele non explicatur, & propterea modus iste in altero capite inuestigandus erit.

Quomodò Sanguis menstruus disponatur. *Cap. XVII.*

VT possimus deuenire in cognitionem huius modi, quo sanguis menstruus disponatur, Confugiendum primò ad illud principium, quod superius propositum fuit, nempè quæ sit virtus formatrix in semine; & dictum est, quòd virtus ista dicitur esse calor, quarè sequitur, quòd calor debeat purificare sanguinem hunc menstruum fœminæ, quomodò autem agat hoc, non ità facilè poterit intelligi, nisi intelligatur prius vis, & natura caloris.

Declaratur quomodò sã guis menstruus disponatur mediã te calore.

Calor duobus in locis ità diffinitur ab Arist. 2, de generatione 8. & 4. metheorum 2. quòd congreget homogenea, & separet etherogenea: si igitur hæc est Vis & facultas caloris, ergò cùm quæritur, quomodò separabitur pars inutilis ab vtili sanguinis menstrui. Resolutè dicendum est, quod virtus formatrix est calor, & Natura

Ex caloris diffinitione venimus in huius notitiam.

ra Caloris est hæc, nimirùm congregare homogença, & segregare etherogença; non secus ac in cuncoctione conspicimus, in qua dùm calor incipit concoquere alimentum, separat feces inutiles, quæ etherogença dicuntur, & minimè apta sunt conuerti in chili naturam; & congregat homogença, quæ apta sunt conuerti in ventriculo in vnam naturam chili; sic etiam calor purissimam partem reddit sanguinis menstrui, separando partem inutilem, & congregando homogença, nempè partem vtilem; hincq; separata parte inutili remanet pars purificata & elaborata vtilis. Verùm quoniam humor hic vtilis nequaquàm aptus esset generationi, nisi acquirat aliquam consistentiam, necesse igitur est, vt habeat aliquam determinationem; & ideò dicit Arist. vnit & constituit: facit autem hoc mediante calore, quoniam consistentia fit à calore. Sed quomodò fiat, videtur esse ambiguum, quià calor liquefacit potius, quàm condensare debeat.

Calor duobus modis terminat ac vnit.

Dicimus calorem duobus modis terminare ac vnire, primò per resolutionem humidi superflui, secundò per mixtionem humidi cum sicco, quæ duo fiunt à calore rarefaciendo, quià aliter non terminaret: exemplum est satis clarum de terra humefacta, nos videmus, quòd accedente calore solis, calor Solis terminat illud humidum cùm terra. At quomodò facit? facit hoc modo, primò terminat per exhalationem partium tenuium; secundò per commixtionem humidi cum sicco. Vndè quò minus Aqua est permixta cum terra, est magis fluxibilis, sed quò magis est mixta cum terra, est minus fluxibilis, & sic calor calefacit, calefaciendo rarefacit, rarefaciendo præbet viam humido, vt diffundatur per omnes partes sicci; & quò magis humidum permiscetur cum sicco, tunc magis consistentiam habet, vt calor furni dat consi-

ſtentiã pani. Itaquè cum calor prius ſeparauerit partem inutilem ab vtili, vtilis pars acquirit conſiſtentiam reſoluto humido ſuperfluo, & tunc ſe habet apta pro generatione viuentiũ. Hinc cognoſcere poſſumus, quomodò dicit Ariſt. 4. metheor. 2. generatio mixtorũ eſt trãſmutatio, &c. ergò generatio viuentiũ non fit ſinè alteratione præcedẽte, quià oportet terminari humidũ cũ ſicco à calore dominante, tunc ex ſemine purificato animantia generantur, & hæc præcedens alteratio generationem viuentium, ſeù diſpoſitio ſeminis, cùm ſit vnio paſſiuarum, dicitur eſſe concoctio, ergò generatio animantium ſubſtantialis fit mediante concoctione, & hùic rationi conſentit Ariſt. 3. de generatione animal. cap. 11. inquit enim ut in Artefactis id, quod generatur, non eſt totum ſubiectum, quod generatur, ſed aliquid repellitur tanquàm inutile, & accipitur aliud vt vtile: ità in naturalibus, nàm accipitur quod eſt concoctum, relinquitur autem, quod eſt inconcoctum; & paulò poſt dicit, vt calor Solis, dùm generat animantia ex putreſcente terra, cõcoquit terram, & per concoctionem generat ranam & murem; ità calor in ſemine concoquit, facta conſiſtentia humidi cum ſicco, & hæc dicitur eſſe generatio uiuentium, quæ fit ratione ſeminis, ſemen enim debet alterari ſeparando inutilem partem ab utili, & dicitur ſemen tunc concoquere, & ſic diſpoſita parte utili, calor traducit formam uiuentium.

Quæſitum pulchrum. Verùm dicet quis, quòd ſi illa terminatio eſt concoctio, ad quas ſpecies concoctionis reducetur? quicquid enim reperitur in genere, debet reperiri in aliqua ſpecie, ergò terminatio iſta uel erit maturatio, uel aſſatio, uel elixatio. *Soluitur primò.* Dicimus, quòd reducitur ad maturationem, quæ eſt concoctio facta in ſeminibus fructuum, nàm concoctio facta in ſeminibus, maturatio dicitur, ergò iſta

con-

concoctio feminis maturatio potest dici. Vel melius possumus dicere, quòd reducatur ad elixationem, quæ fit à calido humido terminata. Concoctio feminis fit à calido humido, ergò elixatio potest dici concoctio ista feminis.

Soluitur secundò.

An Virtus in Semine producat prius Organicum Corpus, seu Animam. Cap. XVIII.

DISPOSITA materia, sequitur posteà generatio substantialis Animantium ex virtute ipsa in semine: Verùm quoniam semen concoctum seu dispositum generat etiam organicum corpus, tunc statim dubito, aut virtus illa formatrix producit Animam, & inde sequitur corpus organicum, aut prius producit corpus organicum, & posteà animam. Quæro igitur, an anima vel corpus prius generetur.

Huic difficultati resolutè respondendum est, quòd virtus ipsa feminis primò producit animam, & posteà sequitur corpus organicum, nec ante productionem animæ dicendum est, esse prius corpus organicum, quià Arist. 2. de anima: dicit quòd anima est actus corporis organici potentia vitam habentis: Declarans autem, quid intelligat per potentia vitam habens, tex. 11. dicit, non intelligo, quòd careat anima, sed quòd est actu viuens & in potentia ad operationes, ergò anima est perfectio corporis actu viuentis, sed quoniam idem est corpus

Anima prius generari quã corpus organicum probatur ex Aristot.

pus organicum & viuens, ergò sequitur, quòd Anima sit actus corporis organici: Idem enim inquit Arist. est organicum & actu viuens: ergò antè aduentum Animæ non est dicendum quod sit corpus organicum, sed ad esse ipsius Animæ dicendum est sequi ipsum corpus organicum. Et propterea Cadauer propriè non dicitur esse corpus organicum, quià priuatum anima omninò est, & anima ab ipso procul abest. Virtus igitur in semine traducit animam vegetatiuam, & sensitiuam ex semine, & sicut ad esse animæ sequitur esse viuens, ità sequitur etiam corpus organicum, adeò vt ad esse animæ sequitur corpus organicum, & non aliter.

Numquid partes Organicæ simul omnes generentur. *Cap. XVIIII.*

ET quoniam in productione viuentis, & corporis organici diuersæ partes organicæ producũtur, Dubitatur ad præsens, nùmquid omnes partes organicæ insimul tempore generentur, aut quodam ordine producantur.

Dubitatur nùm partes omnes organicæ simul generentur.

Respondet Arist. huic quæsito 2. de generatione animalium cap. 4. & dicit, quòd vna prius, altera verò posterius generetur: Vt enim in Artefactis ordo secundum prius & posterius reperitur, ità dicendum de generatrice animalis. Hinc est, quòd in artefactis videmus, quòd ædificator primò effodit terram, secundò iacit fundamenta, erigit parietes, construit tectum, hincq; domus ex omni parte constructa apparet.

Responsio ex Arist. quod non simul generentur.

Et

Et propterea Galenus fermè eandem rationem proponit, quam Arist. quandò libro de form. fæt. 4. dicebat Peripateticorum sententiam esse, cor primùm generari, vt sit venarum & neruorum origo; & pariter dicat libro inscripto, an omnes animalis partes simul fiant, solùm Creatorem euidenter nouisse, quæ pars primò oriatur: sed addit Gal. Rationabile esse, non omnes partes simul consistere,& primùm,sicut Artifex dùm conficit aliquod Artefactū, prius iacit fundamenta, ità ĕt inquit esse statuendum de generatrice Animalis, vt prius iaciat fundamenta. Secundò cum Galeno loco citato, Cùm generatio procedat ab imperfecto ad perfectum,necessarium esse, vt fabricator incipiat ab aliqua parte, quæ prius fiat,quarè non omnes partes simul consistunt.Tertiò in prægnatione nuper incipiente conspicimus alias partes formatas, alias nondùm figuratas,vt etiam post partum dentes & cornua producantur.

Galenus cōsentit Aristoteli.

Primò ex Galeno.

Secundò ex Galeno.

Tertiò ex Galeno.

Nec præter rationem natura hunc in modum progreditur, nàm ducta ab intelligentia non errante respicit ad vtilitatem,quæ vtilitas vario tempore requiritur, ità vt vario & diuerso tempore generentur partes. Cùm igitur pateat non omnes partes eodem tempore consistere, videndum est, quæ nam pars primo quæ secundo tempore generetur.

De primò genito in Corpore Organico, an sit cor cum Aristotele, vel Epar cum Galeno.

Cap. XX.

Opinio Aristotelis quod Cor sit primum genitũ

PRIMVM quod gignitur, inquit Arist. 2. de gen. Animal. 4. in habentibus sanguinem dicitur esse Cor, vt vltimò etiam moriatur; & in carentibus sanguine generatur primò aliquod simile Cordi; gignuntur post hoc principium deindè aliæ partes, hincquè apparet corpus totum organizatum. In eo autem maximè dissentiunt inter se Arist. & Gal. nàm sicut primum genitum Arist. dicit Cor, ità prius genitum Galenus affirmat esse Hepar.

Opinio Galeni quod sit Hepar.

Aristotelis & Galeni diuersitas vndè causetur.

Horum autem Principum Virorum diuersitas non aliundè certè prouenit, quàm quod vita cuiuslibet partis consistit in nutritione, sed nutritio est opus vegetalis animæ, ergò id primò dicitur genitum, quod est sedes animæ vegetalis; Galenus inquit, quòd sedes vegetalis dicitur esse Hepar; Arist. verò principium vitæ & vegetalis ex consequenti sedem proponit esse Cor. Verùm cùm primò genitum Cor Arist. statuisset, in eodem Capite ipse mouet dubitationem, inquiens, Vita sinè sanguine conseruari minimè potest, quià quod viuit, necessariò ali debet, sed in Corde non reperitur sanguis, neq; aliud quod semicoctum sit, ex quo Cor possit suum nutrimentum suscipere, cùm nondùm sit generatus ventriculus, nec aliæ partes, ex quo ergò Cor nutrietur? Si dicat aliquis

Arist. mouet dubitationẽ contra opinionẽ suam.

Responsio vana.

aliquis, quod Cor nutritur per Venam Vmbilicalem, mediante qua attrahitur sanguis ab ipso Corde, hoc est omninò falsissimum, quià nondùm est facta Vena illa Vmbilicalis. Nec minus potest illud dici, quòd Cor primò viuat, & tamen non nutriatur, quià impossibile est fieri, quòd aliquod sit viuens, & non nutriatur, vt Arist. apertè hoc asserit 2. de Anima 48. & 1. de generatione & cor. 41.

Responsio alia Vana.

Et Hæc dubitatio Aristotelis, sicuti suam sententiam euertere videtur. Ità eadem occurrit Galeno dicenti, quòd Epar dicatur primò genitum, Aristot. eo Cap. cit. sic soluit Dubitationem allatam, dicens, quòd Cor primò genitum procul dubiò alitur, & nutritur, si quidem Vita absquè nutrimento minimè consistere potest, sed hoc nutrimentum non est extrinsecum, ità quod Cor ex aliquo alimento extrinseco nutriatur; sed benè nutritur ex aliquo humore intrinsecus inexistente, idest, ex aliqua portione ipsius humoris & sanguinis, ex quo dicitur Cor esse genitum, nàm sicuti in semine, ex quo generantur Stirpes & Plantæ, reperitur humor quidam candens & lacteus, vt experientia ipsa docet, si semina hæc stirpium effosa in Terram frangantur, humorem hunc candentem & lacteum conspici, ex quo humore lacteo dicuntur Stirpes & Plantæ ipsę generari: ità dicendum est euenire in semine Animalis; in hoc enim reperitur portio quædam humoris, ex quo Animantia generantur, & ex ipsomet humore dicuntur etiam nutriri. Cùm autem, inquit, fætus est perfectus, tunc alitur per venam Vmbilicalem ex sanguine parentis attracto. Vndè negat Aristot. apertè in hoc loco, quòd omne quod viuit, nutriatur ex alimento extrinseco, cùm intrinsecus etiam possit humor reperiri, ex quo ali possit pars aliqua viuens, sicuti manifestè cer-

Ead. dubitatio est cōtra Gal.

Dubitatio soluitur ab Aristotele.

nitur in Ouis adesse lineas quasdam sanguinis diffusas per ipsum Ouum, ex quo sanguine & Oua dicuntur genita, & pariter possunt ali & nutriri.

Ead. solutio valet pro Galeno.

Quæ Aristotelis solutio pariter inseruire potest Galeno asserenti Epar esse primò genitum, ità tamen quod Epar dicatur ali & nutriri ex humore interno, ex quo constitutum est.

Conciliatio Arist. & Gal. ex Capiuac.

Verùm hoc in loco placet proponere Conciliationem quandam in hac materia, quam excogitauit Præ-Clarissimus vir ex recentioribus. Hic enim inquit, quòd quandò Arist. 2. de gener. Anim. 4. euidenter asserit, in genere sanguineo primùm Cor generari, vt vltimò etiam moriatur: inquit iste, Aristotelem ità fore intelligendum, vt respexerit ad membrum, à quo primò procedit Animalis facultas, quæ vt generica, reperitur in Corde, vt impartitur alijs partibus, propria seù determinata euadit, vt vnicus sit fons, idest Cor, omnium Origo, vt sit primum viuens, & vltimum quod moritur: & Rationabiliter, nàm quodlibet est primò propter se, & ideò primùm viuit, & vltimò moritur: Sed ob id non negasset Arist. antè Cor formari Iecur, nequaquàm; sed ea ratione vt Iecur habet vitam, non oportet: sufficit enim à Muliere Vtero gerente in virtute Calidi innati & sanguinis menstrui. Sed post quàm genitum est Iecur, & deindè formatum Cor, Iocinoris Vita pendet à corde fętus, & secundùm hanc rationem est intelligendus Philosophus, vt primum sit, quod det Vitam alijs, & vltimum sit, quòd moriatur.

Præceptoris Conciliatio non reijcitur reuerentiæ causa.

Quæcunque autem sit huiusmodi Conciliatio, eam neque affirmandam, neque omninò reijciendam esse Optimo Consilio diiudicamus.

Vtrum

Vtrum Mas, & Fęmina concurrant Ambo actiuè. Cap. XXI.

VT exacta habeatur notitia huius generationis viuentium, quam sumpsimus pro viribus à principio expendendam,& olim (fauente Deo) extremam manum quasi imponimus; Cùm in hac generatione non modò Concurrat Mas, verùm etiam fęmina;Iurè oritur difficultas examinanda, vtrum ambo concurrant actiuè in generatione prolis,aut ipsa fęmina passiuè, Mas autem actiuè. Conceditur, & in confesso est apud omnes, quod Mas actiuè, fęmina verò tantùm passiuè concurrat; difficultas tamen est, an fęmina concurrat solùm passiuè,vel etiam effectiuè; ità vt adeò transmutet, & alteret materiam, vt ex hac posteà alterata animam traducat. In qua sanè difficultate primùm considerandus est sensus huius dubitationis; Deindè verò Opinio Galeni, & eius fundamenta sunt proponenda, vt tandem quid secundum Arist. sit sentiendum,vltimo loco proponatur.

Quęstio considerancla.

Quò ad primum in ordine,quod est loqui de sensu dubitationis huius,illud intelligendũ quòd Mas tunc dicitur concurrere actiuè,quandò impartitur semini, quod eiaculatur, virtutem efficientem, quæ alterat & disponit materiam. Fęmina verò dicitur passiuè concurrere, eò quià dicitur subministrare materiam in generatione,cum tribuat sanguinem menstruum, ex quo traducitur fętus, mediantè virtute illa effectrice. Dubium igitur

Quæstionis sensus explicatur.

tur in hoc consistit nùmquid fęmina in sanguine menstruo præbendo dicatur actiuè concurrere in generatione.

Opinio & Rationes Galeni.

Opinio Aristotelis.

DVbitant in hoc Medici, & præcipuè Galenus ex vna parte, Arist. verò ex altera. Si quidem Arist. expressè existimauit, quòd solùm Mas concurrat actiuè, vt primò de gen. Anim. cap. vltimo & 2. de gen. anim. cap. 4. & vniuersaliter in illis libris substinet, quòd Mas actiuè tantùm concurrat, fęmina verò passiuè.

Opinio Galeni.

Ex aduerso autem Galenus putauit, quòd fęmina nō solùm passiuè, sed etiam actiuè concurrat, & subdit Galenus quòd licet conueniant in hoc Mas & fęmina; tamen dissentiunt, quòd semen Maris magis perfectè concurrit, semen verò fęminę minus perfectè.

Prima Galeni ratio.

Primum fundamentū Galeni depromitur ab ipsò, lib. 2. de semine cap. primo, vbi nititur probare ex Anathomica inspectione, fęminas obtinere verum semen, non secus, ac homines; vbi enim secantur corpora mulierum, non solùm apparent oculis vasa spermatica, vt sunt in viris, verùm etiam repleta materia alba & seminali, & sicut in homine reperitur semen generatiuum, ità in fęmina.

Secunda ratio.

Accedit, quòd ipse Galenus refert se curasse viduam quandam, quæ Vteri maxima pręfocatione tentabatur, tandem Vterus euomuit materiam albam, crassam, quæ nil aliud erat quàm semen fęcundum, quo educto illicò liberata fuit.

Tertia ratio.

Alterum fundamentum Galeni est, quòd sicuti in Mare inest, & reperitur Vegetalis anima & eius functiones, ità quoquè in fęmina: sed operationes Vegetalis

sunt

ſunt nutrire, augere,& generare: ſicut igitur in Mare reperitur Anima vegetalis his tribus operationibus ſuffulta, itâ & in fęmina reperictur eadem facultas vegetalis,ijſdem tribus operationibus imbuta, & præſertim ea, quam generatiuam appellant.

Quarta ratio

Præterea quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, habent eandem vim & poteſtatem; Mas & fęmina ſunt eiuſdem ſpeciei, ergò quicquid competit Mari, competit fęminæ, ſed in Mare reperitur virtus actiua, itâ etiam in fęmina. Aliter enim ſequeretur, quòd proprietas vna competat vni, & non competat alteri in eadem ſpecie.

Quinta ratio

Addo & aliud fundamentum efficaciſſimum,captum à ſimilitudine filiorum ad Patrem & Matrem, quòd filij quotidiè generentur, qui aſſimilantur Matribus non modò ſecundum ſexum, ſed ſecundum plurima alia accidentia. Hoc conſtituto, inquit Gal. Vis hæc aſſimilatoria, & vis hæc effectrix, cùm æquè fiat aſſimilatio ad matrem,atque ad patrem, proficiſcitur ex neceſſitatè à principio communi & maris & fęminæ; hoc principium duplex tantùm eſt, ſemen & ſanguis menſtruus, hæc vis non eſt attribuenda ſanguini menſtruo, quià ſi in hoc eſſet vis aſsimilatrix, nunquàm filij Maribus aſsimilarentur, cùm eo mares careant, ergò fatendum eſt eſſe in altero principio, nempè in ſemine, & ſi in hoc,ergò in fęmina neceſſe eſt adeſſe ſemen, veluti in mare, meritò cuius, fœtus poſteà aſſimiletur propriè Matri.

Plura alia fundamenta poſſent adduci, ſed quoniam ea comunia ſunt, & breuitatis cauſa, prætereo.

Opi-

Opinio Aristotelis, & Rationes.

Opinio Aristotelis est contrà Galenum.

SEntentia hæc non placuit Aristoteli, quià apertè substinet, fęminam solùm materiam præbere, & ex consequenti solùm passiuè concurrere, adeò quòd semen fęminæ afferat Arist. esse humorem quemdam indigestum & infæcundum, & si eijcitur, eijcitur ob aliam causam, quàm ob prolem generandam: Et propterea Com. Auer. 2. collec. 10. comprobans sententiam Aristotelis inquit, quòd semen fęminæ est infęcundum, quià est aquosum nimis & fluidum. Vndè fit, quòd Medici volentes facere periculum de seminis fæcunditate, dicunt, si descendit, est fæcundum, quià est crassum, & magis terrenum, concocta verò sunt crassiora, & quò magis concocta, magis crassa. Semen vero infæcundum, inquiunt, quòd supereminet Aquæ, quià est magis leue. His sic stantibus cùm semen fęminæ non ità consistat, sicuti semen Viri, proindè meritò dicitur infæcundum.

Prima ratio prò Arist.

Secunda ratio.

Verùm præter hoc adest Ratio efficacissima, si in semine hoc fęminæ reperiretur virtus actiua, sequeretur, quòd fęmina ex se ipsa concipere posset absque Mare, nàm concedunt omnes, quod reperitur virtus passiua in fęmina, ergò si reperitur etiam Virtus actiua, potest ex se ipsa generare, quià quotiescunquè adest agens, & materia, tunc aliquid potest generari, nàm actiua Virtus potest alterare materiam, & transmutare, ex qua potest educi generatio aliqua.

Tertia ratio.

Addo prætereà, quòd non videtur hoc conuenire, fęminam nempè concurrere actiuè; quia si in generatione Animalium ex putrescente materia concurrit tantùm virtus actiua solis, & putrescens materia passiuè se habet

habet ad ipſum Solem; quantò magis in generatione hac animalium ex ſemine debemus fateri, ſemen maris concurrere, vt calorem Solis, ſemen verò fęminæ concurrere, non ſecus ac Terram putreſcentem, quæ, vt dicebamus, paſsiuè tantùm concurrit. Sufficit igitur, quòd mas tantùm actiuè concurrat.

Conciliatio quorundam Sectatorum D. Thomæ. & Reiectio.

NOnnulli ex Secta D. Thomæ videntes tot controuerſias, dixerunt, & arbitrati ſunt, quòd ſemen Maris concurrat actiuè, quò ad alterationem ſeminis; Fęminam verò concurrere etiam actiuè, ſed quò ad organizationem & productionem ipſius Animæ.

Conciliatio quorundam Thomiſt.

Sed qualiſcunque hæc Conciliatio ſit, cùm in principio polliciti fuerimus, nequaquàm ab Ariſt. recedendum eſſe; Ea propter in hac parte etiam ſequi nitimur Ariſtotel. qui pluribus in locis inquit, quòd fęmina paſſiuè ſolùm concurrat, quatenus tribuit materiam & ſanguinem menſtruum: Mas verò concurrat actiuè, quatenus ſemen maris alterat materiam, & ſanguinem illum menſtruum fęminæ, qua poſteà & demùm alterata ſequitur generatio,

Conciliatio refellitur.

Solutio Rationum Galeni.

EA propter prima ratio Gal. ſolui poteſt, ſicuti ſoluit Auic. qui 2. ſen. 3. tr. 1. cap. 3. Auſus eſt irridere Galenum, eò quòd parùm Philoſophiam nouerit; & ſequitur Auicennã Alb. l. 9. tr. 2. & Egid. Romanus lib. de form. hominis; qui omnes conſpirarunt in hoc, quòd Mulieres, vt inquit Ariſt. non emictant ſemen, niſi æquiuocè,

Ad 1. Gal. reſpondetur.

uocè, eo quòd solùm si quid habent, sit mera materia tanquam sanguis menstruus, & quòd solùm vis effectrix generationis posita sit in semine maris, & ideò ad primam & secundam Galeni rationem respondet Auic. humiditatem illam assimilari semini, quià viscida est, & alba, non esse tamen verum semen.

Ad secundã. Et quod subdit Galenus de Vidua, inquit, fuisse hanc humiditatem; quæ ob moram in vtero crassefacta erat.

Ad tertiam. Ad aliud verò, quando Gal. dicebat, quòd sicuti vegetalis in Mare reperitur, ità in fœmina. Arist. non satisfacit huic dubitationi, tamen in vltimo cap. 1. de generatione, scribit hæc verba. Mas quatenus Mas concurrit actiuè; Fœmina quatenus fœmina concurrit passiuè. Quo in loco nõ dicit fœminam absolutè, sed fœmina, quatenus fœmina. Ex quo modo loquendi elicio aliquam proprietatem suprà fœminam, & suprà hominem, cùm addat, quatenus homo: Et propterea Opinor ipsum voluisse indicare hanc distinctionem, quòd mas & fœmina dupliciter considerari possunt; vno modo essentialiter secundum speciem; Alio modo potest considerari accidentaliter homo quatenus Mas, & dicit proprietatem masculinam; & sic fœmina quatenus fœmina secundum eandem rationem accidentalem, ità quod Mas in quantum Mas dicat naturam magis perfectam: fœmina quatenus fœmina dicat imperfectionem: & propterea dicitur fœmina Animal imperfectum.

Quibus sic stantibus tunc dicendum, quòd benè reperitur in Mare, & fœmina potentia vegetalis secundum virtutem specificam & essentialiter; sed si consideretur secundum rationem accidentalem, in Mare quatenus Mare dicimus reperiri virtutem productiuam; in fœmina verò qua fœmina, minimè reperitur hæc virtus generatiua, propter imperfectionem ipsius, seù propter frigidi-

giditatem, nàm ficuti in omni homine reperitur vegetalis anima, & tamen non omnes generant propter aliquam imperfectionem; ità etiam fe habet in fęmina, nàm licet reperiatur vegetalis, non reperitur tamen potentia generatiua propter fui, vt dicebam, imperfectionem.

Simili modo fatisfactum arbitror alteri fundamento quandò dicitur, quòd Mas, & Fęmina funt eiufdem fpeciei, ergò habent eandem poteftatem. Dicimus, quòd in quantum funt eiufdem fpeciei effentialiter, & refpectu illarum proprietatum, quæ infequuntur fpeciem ipfam, quicquid competit Vni, veriffimum eft competere alteri eiufdem fpeciei; Sed fi confideretur fecundum rationem accidentalem, ratione maioris & minoris perfectionis, non fequitur, quòd quicquid competit Mari, competat etiam fęminæ, vt docet hoc Arift. 10. Diuin. 18. Sicut etiam propter differentiam accidentalem Mamillæ fęminæ producunt lac, Mamillæ verò Hominis non producunt lac, & tamen funt eiufdem fpeciei. Non igitur valet, quicquid competit vni, competit alteri in eadem fpecie, fecundum rationem hanc accidentalem.

Ad quartam

Ad vltimum verò fundamentum Gal. refpondet Auicennas de fimilitudine fexus, quòd cum Arift. dicit, Mares, & fęminas generari: hoc eft non propter femen mulieris, fed ob femen Viri, quod fi fit calidum, & à dextero tefte fluat in dexteram vteri partem, mas fit. E contrà, fi femen frigidum à tefte finiftro decidat in locum finiftrum, fit fęmina. Quandò fubdit illud de fimilitudine indiuiduali, in qua re maximè eft folicitus Galenus, & vrget Galeni ratio. Refpondet Auic. hoc fieri propter refiftentiam feminis muliebris, non tamen, quòd vllam vim efficacem habeat, fed quià propter refiftentiam humiditatis illius, non poteft fętus afsimilari Patri,

Ad quintam

assimilatur Matri, sicquè satisfactum est omnibus Galeni rationibus. Et hæc de formatiua facultate, quæ in semine viget, dicta sint. Hic esset, quòd extremam manum imponeremus huic nostro Tractatui de Natura Ortus Viuentium; Ni Mors & Corruptio huic Ortui verè contraria cogeret nos ad aliquid dicendum: quarè de Morte obiter duo verba in sequenti Capite habeamus.

De Morte. Cap. XXII.

Mors seù corruptio quid.

ET quoniam Contrariorum, scribit Arist. pluribus in locis eadem est scientia, nunc Considerandum paucis venit contrarium ipsi generationi: Opponitur autem generationi Mors, seù corruptio; cuius diffinitio ex generationis diffinitione elicitur; Sicùti generatio est permansio Animæ mediante Calore; Ità corruptio est dissolutio Animæ à Corpore Organico propter defectum caloris: Cùm enim generatio & Vita consistat in calore, & medio calore conseruetur Anima in Corpore, meritò dictum est, corruptionem fieri propter huius caloris defectum, si nàmquè semper maneret calor, vtiquè semper adesset vita. Sed quoniam hic calor corrumpitur, indè est, quòd procedit corruptio.

Calor duobus modis corrũpitur.

Videamus ergò quot modis calor hic viuentium corrumpatur, & cum Aristotele asserimus duobus modis vel ab intrinseco, vel ab extrinseco, vt profert in lib. probl. & lib. de spirat. cap. 7. Ab intrinseco tunc dicitur corrumpi, quandò est prohibita transpiratio, & euentatio

Corrũpitur ab intrinseco.

tatio ipsius caloris, vndè cùm non possit calor ipse amplius euentari, absumit humidum illud Radicale, & consumitur calor.

1. Pro cuius rei declaratione illud Animaduertendum quòd pro caloris huius conseruatione semper est conueniens refrigeratio cordis, & Euentatio caloris. Vndè videmus, quòd membra Animalium, vt in piscibus bronchia, & Pulmo in alijs Animalibus, temporis interuallo fiunt sicciora per hanc impotentiam refrigerandi propter humidi resolutionem; tunc enim calor cordis non potest amplius generari, & propterea consumit residuum humidi radicalis, quo consumpto consumitur calor, & per consequens consumitur etiam vita, & exemplum est de lucerna cooperta, quæ intensè magis cōsumit oleum, & consumitur lux. Hæc igitur est Mors naturalis, quæ fit propter impotētiam refrigerandi calorem, & transpirandi. Vndè sequitur assidua actio caloris in humidum radicale. Ab extrinseco autem dicitur calor viuentium corrumpi per prohibitam transpirationem, vt si calor corrumpatur per suffocationem, vel aliquo morbo, vel morbo magno effecto ex abundantia excrementorum quæ excrementa suffocant calorem.

Corrūpitur ab extrinseco.

Prima Mors appellatur periodica, quia est consumpta mensura caloris, vt placuit Platoni in Thimeo; dicitur esse sinè tristitia, idest minus tristis corruptione illa violenta: quià fit per humidi resolutionem, veluti videmus in tempore senectutis euenire, in quo tempore Anima clàm & cum voluptate, è corpore euolat: Secus autem dicendum est de alia morte, quæ ab extrinseco proficiscitur, hæc enim non per dissolutionem humidi à calido, non cum voluptate, sed violentia fit.

Hanc veritatem cognoscens Arist. vti nos etiam in principio explicauimus, facilè colligere potuit in lib. de

long.

long.& breuit. uitæ, uitam in nullo alio consistere, quàm in calido & humido, quià si uita conseruatur ratione caloris administrantis alimentum, & partes ob alimentum, humidum radicale continent; ideò uita in calido & humido consistit, & senectutem progressum ad frigidum & siccum uocauit Arist. & subdit etiam, mortem sedem suam habere in frigido & sicco.

Hinc sequitur. Cum duobus modis accidat fieri uiuentium corruptionem, hæc corruptio nequaquàm est putredo, quià putredo est corruptio non ab externa frigiditate, cùm tempore hiemis difficilius putrescant carnes. Viuentium autem corruptio fit ab externa frigiditate; Prætereà dicit Arist. quæ putrescunt, fiunt humida & sicca, & dissoluuntur in puluerem. Viuentia uerò non dissoluuntur in puluerem. Ex quibus potest quilibet diiudicare, quantùm aberrent ij, qui asserunt, quòd putredo sit corruptio uiuentium, cùm tantùm putredo sit corruptio mixtorum inanimatorum, quatenus hæc mixta sunt.

Et sic absoluta paucis est Tractatio De Ortu & generatione Viuentium in Communi.

Ad Laudem Dei Optimi Maximi, Deiparaque semper Virginis.

F I N I S.

ORATIO CAMILLI RVBEI A MONTE GRANARIO

Habita in Almo Gymnasio Firmano initio suarum Prælectionum.

MEDICINAE PRACTICAE

DIE XX. OCTOB. ANNO M. DC. III.

CVM LICENTIA, ET PRIVILEGIO.



VENETIIS, ET DENVO MACERATAE.

Apud Petrum Saluionum. M. DC. XIII.

ORATIO
CAMILLI
RVBEI
A MONTE GRANARIO

Habita in Almo Gymnasio Firmano initio iterum Praelectionum

MEDICINAE PRACTICAE

ANNO M.DC.III.

CVM LICENTIA, ET PRIVILEGIO.

[illegible] ETTIS, ET DENVO MACERATAE.

[illegible] M. DC. XIII.

DE EXCELL. DOMINO
CAMILLO RVBEO E MONTE GRANARIO.

EPIGRAMMA EXCELL. D. TITI FRANCISCHINI DE CINGVLO.

DVM Phœbi auxilium Rubeus dispensat in Vrbe
Firmana, Eloquij non minus arte valet.
Dum Sophiæ perquirit opes, dum sydera nouit,
Cùm sibi, tùm musis carmina læta canit.
Dumquè arcana Dei Cœlo peragratur aperto,
Et Firmi historias vrbis, & Orbis habet.
Nam tibi nil fuerat Medicas reserasse latebras,
Ni quoquè nota tibi cuncta Camille forent.

EPIGRAMMA
IN QVO COMPARATVR
CAMILLVS RVBEVS
Cum Camillo Romano.

VOmere qui terram, ferro qui bella Camillum
Tractantem vidit, cernit, & obstupuit,
Eloquio persentit, qui Medica Arte Camillum,
Et colit, obseruat, tollit ad astra virum.
Effulsit clarus Romæ quondam ille: sed iste
Nunc Firmi fulget, gloria magna Choos.
Effulsit viuens, fulgens viuetque Camillus
Perpetuò terris, astraque fama petet.

Hieronymi Castelli Ripani.

AMPLISSIMO SENATVI FIRMANO.

Camillus Rubeus Granarienſis perpetuam precatur fœlicitatem.

CVI magis, Senatus Ampliſſime, quam tibi ex omni ſapientiſſimorum, atq; optimatium numero ſelecto conueniat hoc meæ Orationis munus, equidem non video: idque tùm dignitatis, & amplitudinis ratione, qua tu nedum apud *Picentes*, verum etiã apud exteros, *& alienos admirabili admodum Flores: tùm officij mei cauſa, quo me tibi poſt Deum Opt. Max. mirum in modum deuinctum, obſtrictumquè ſentio: cuius vehementis affectus cum inditium aliquod promere iàm diu flagranter optarim, & ob ingenij obſcuritatem, illuſtriùs aliud edere non valuerim, hanc Orationem ex rerum tuarum geſtarum, ac ſimul medicarum Voluminibus depromptam, tibi dicandam curaui: ita enim rerum, de quibus agitur, ſplendore animi mei deſiderium patefaciam. Tu verò ſplendore proprio Orationem, qualemcunque tamen tenuitas noſtra offerre poteſt, illuſtrare valebis.*

ORA-

ORATIO.

CONSIDERANTI mihi paulò antè, Perillustris ac Reuerendissime Propræsul Admodum Illustris, ac Reuerendissime Proarchiepiscope, Perillustris, & Amplissime Magistratus, vosquè quot quot adestis tùm Doctores celeberrimi, tùm auditores nobilissimi, & hunc dignissimum, ornatissimumquè locum mente, atquè animo reuoluenti non parum temeritatis, atquè impudentiæ subeundum videbatur, vt qui nequè ingenio, dicendique, arte polluissem, in harum lectionum mearum initio, ad quas incredibili vestra humanitate me eleuasti, apud hanc celeberrimam doctissimorum hominum frequentiam, Orationem de Medicinæ, nec non Perillustris Firmanæ Ciuitatis laudibus essem habiturus. Nihil enim tàm magnificum afferri posse cogitabam, tàmque luculentum, atquè expolitum, quod non exile, obscurum, ac sordidum apud tantos homines videretur: Quis enim tàm frequens vsus, consuetudoquè dicendi, quæ tanta vis, & copia Orationis, qui tandem tàm vehemens, & concitatus impetus ingenij, vt Artis Medicæ, ac tantæ Vrbis laudes plenè possit, accumulatèquè complecti? Spero equidem vos non dignitatem, amplitudinemquè rerum, sed mei exiguitatem ingenij contemplaturos: tantùm enim commendabimus ambo hæc, quantùm

tùm

tùm & vos iurè censebitis fuisse laudanda, & temporis etiam ratio permittet. Quibus de rebus futura nostra sit Oratio, videtis.

Medicinæ, origo siuè Hæbræos, & Arabes sequamur, siuè Græcos, Aegyptyosq; Theologos ab ipsa Diuinitate manauit: Hæbræi enim Adam primum humani generis parentem diuino munere eam assequutum esse affirmant. Apud cæteros etiam Ars ipsa Dijs primùm suos inuentores assignauit, ipsaquè ab Oraculis Deorum multifariam petita est, vt asserit Plinius.

Hac de re Aegiptij, Græci, & aliæ pleræq; gẽtes illos omnes, qui Medicinam inuenerunt, aut inuentam excoluerunt, vel auxerunt, diuinis honoribus prosequuti sũt, illis templa dicarunt, & Deos arbitrati sunt: siuè quia huic Arti tantum tribuerunt, vt vix crederent eam hominum ingenijs inueniri potuisse, siuè quià vt legitur, Medicina sacra res est; ob id Galenum à nonnullis pro Deo coli, tradit Eusebius Cęsariensis.

Quid autem Græcorum, Aegiptyorum, & aliorum authoritate opus est? Nonnè legitur in Ecclesiastico. Honora Medicum, propter necessitatem etenim creauit illum Altissimus; à Deo enim est omnis medela, & à Rege accipiet omnem donationem, disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu Magnatorum collaudabitur: Subdit author ille. Altissimus creauit de terra Medicinam; & vir prudens non abhorrebit illam: & rursus. Fili in infirmitate tua da locum Medico, etenim illum Dominus creauit, & non discedat à te quia opera

eius

eius sunt necessaria. Quid clarius? si Medicina igitur est antiquissima, si à Deo profecta est, quis non ingenuè fatebitur eam esse maximè nobilem, & diuinam?

Cuius nobilitate, & diuinitate ducti Reges quam plurimi Medicinam didicerunt, & Medici officio functi sunt, quemadmodum apud Aegiptios Osiris, Isis, Mercurius, & inter Græcos Hercules, Theseus, Thelamon, Pelleus, Iason, & Achilles, qui omnes Chironis Centauri opera, ac doctrina, eam assequuti sunt. Hanc etiam artem calluisse, & cum amicis ægrotantibus exercuisse Alexandrum Macedoniæ Regem asserit in eius vita Plutarcus. Nonnè apud Hæbreos Salomon Rex sapientissimus, ac ditissimus adeò Medicinę peritus fuit, vt libros de lignorum, herbarum, Iumentorum, Volucrum, Reptilium, & Piscium natura scripserit?

Non defuerunt ex Romanis Imperatoribus, qui Medicinam optimè tenuerunt. In primis Augustus ille Cæsar, Tiberius, Nero, Adrianus, cuius extat Collirium ad plurima vtile, vt tradit Aetius, Titus, Constantinus, & Iustinus huius Artis admodum peritus, vt patet ex Antidoto, ab eo inuento, & nominato.

Et inter summos Pontifices Nicolaum Quintum aiũt fuisse professione Medicum, idem asserunt de Ioanne vigesimo, qui prius Petrus Hispanus nuncupabatur, cuius extat liber in hac arte, qui dicitur Thesaurus pauperum.

Permulti etiam viri Sãcti in hac Arte nobilissima versati sunt, quemadmodum in ijs, qui sunt veteris Testamenti, Moyses à Deo Medicinam edoctus, à Diuo Hie-

ronymo

ronymo Medicus fuit appellatus; Heliſeus inter alios curauit Naaman ſyrum leproſum. Eſaias curauit Ezechiam Regem. Et in his, qui ſunt Noui Teſtamenti; Diuus Paulus hac arte eſt vſus ſcribens ad Thimoteum, noli (inquiens) adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates. Diuus Lucas vnus ex Euangeliſtis fuit (teſte Paulo) profeſſione Medicus: Poſt quem Euſebius Pontifex, & Martyr, Baſilius Magnus, Diuus Ambroſius, Coſmus, & Damianus, & alij quàm plurimi.

Quid amplius? Non nè Angelos, & Archangelos Medicorum officio functos eſſe legimus? & eloquentiſſimus Chryſoſtomus id apertè oſtendit. Inquit enim, Angeli varijs morbis & vniuerſo Dæmonum nocumento, & omnium corporum læſioni, & corruptelæ medentur. Quid autem dico de Regibus, & Imperatoribus, de Pontificibus, de Sanctis, de Angelis, & Archangelis? Nonnè, vt in externa Oratione intellexiſtis, Saluator noſter Medici functus eſt officio, cùm non modò Animas, verùm etiam & corpora euidentiſſimè curaret.

Præterea Medicinæ nobilitas, ac præſtantia patet ex illius ſubiecto, quod eſt corpus humanum, omnium inferiorum corporum nobiliſſimum, ac tria præcipuè, inquit Fernelius libro de partium humani corporis deſcriptione, obtinuit, quibus cætera omnia longè antecellit. Primum figuram celſam, & crectam, quæ in Cœlum,

suumquè Conditorem se attollens, cœlestes igniculos, & suæ Diuinitatis semina testatur. Deindè summo corpore cerebrum amplissimum, animi, eiusquè partium sedem. Tandem manus exporrectas, quibus quicquid modo iusserit, facilè prosequatur. Plurima (inquit Cœlius Rodiginus) singulari admiratione digna sunt in humani corporis fabrica, de qua Galenus Medicorum Princeps decem & septem conscripsit libros; & non nulli hanc humani corporis fabricam Dei librum esse dixerunt: in qualibet etenim particula vel minima & legitur; & cernitur summa Dei sapientia, & artificium. Plotinus de Natura animalium corpus humanum Mundi simulacrum appellat. & Aristoteles Hominem ad vniuersi Orbis habitum institutum esse asseruit, vt propterea præbuerit occasionem vniuersæ fermè Antiquitati ad illud propalandum, Magnum Mundi miraculum Hominem esse.

Ex ipso etiam fine Medicinæ nobilitas intelligi potest; est enim sanitas qua nihil melius, nihil iucundius, nihil vtilius ab Homine possidetur; Huc tendunt cunctorum vota mortalium, hæc est summa curarum, hæc est summa rerum expetendarum. Cui sanitas adest, huic nihil prorsus ad vitæ necessaria, & animalis conseruationem deest. Cui sanitas deest, huic desunt omnia: Inueniuntur, qui Regna non optent, qui verò sanitatem repudiat, nullus existit; Nemo enim non sanus esse vult, Nemo non sanitatem summum bonum esse consentit, à qua tamquam perenni quodam, & lucidissimo, purissimoquè fonte, quicquid est in hominum vita iucundum,

&

& laudabile, continenter effluit, & (vt vno verbo omnia complectat) nihil est in terris, nihil in Mari, nihil deniquè in vniuerso Mundi ambitu vtilius mortalibus, quam potius admirari, & tanquàm è longinquo loco suspicere, quàm dignis laudibus exornare valemus.

Si maximum bonum est sanitas, si vita est omnium rerum prætiosissima; si illam Medicus conseruat, & labefactatam arte sua restituit, hanc verò diuturniorem facit, & non nunquam penè amissam reuocat: Quis summo amore, honore, & obseruantia eum non prosequetur? Quid refert (Dij immortales) vtrum anima in membra derelicta diuinitus reponatur, ac penitus in corpore sepulta, morbiquè viribus oppressa, Arte, Mediciquè cura ni suscitetur, iamquè certò migratura non retineatur? Nonnè penè paria sunt mortuum restituere, & mox moriturum seruare? eiusquè animam, in corporis latibulis delitescentem ab ipso mortis limine reuocare? Ea est com plurium morborum vis, vt certa sit mors ipsa; nisi Medicus opem ferat, veluti stupor ille, qui mulieribus potissimum accidere solet, Vuluæ conuersio, Sincope profunda, Paralisis, Apoplexia, & alij permulti, quos si quis Arte sua depellit, idest vitam subitò oppressam reuocat, nonnè diuinus habendus est? O immensam Artis Medicæ vim, ac potestatem. Quot hodie Hominum millia viuunt, & benè valent, qui ne nati quidem essent, nisi hæc eadem Ars tot nascendi discriminibus remedia, & obstetricandi rationem inuenisset? adeò statim in ipso vitæ limine, & pariens, & nascens Medicorum opem miserabi-

li voce implorant. Quarè mea quidem sententia aut nusquam locum habebit illud Graecorum adagiũ. Homo Homini Deus, aut in Medico fido, probo, & erudito comprobabitur. Nullum est enim Hominũ genus: Nullus Ciuitatis ordo. Nullus sexus. Nulla aetas, quae ex Medicina summam non capiat vtilitatem, Cùm summi viri, mediocres, infimi, foeminae, liberi, serui, infantes, pueri, adolescentes, iuuenes, senes, & si quae praetereà est aetas, morbo afficiatur: Verùm fac abesse morbos; fac omnes optima frui valetudine, tamen hanc qua ratione tueri poterimus, nisi Medicus ciborum discrimen, qui prodesse vel obesse possint, nisi totius victus (quam Graeci dietam appellant) rationem doceat. Ex quo verum esse illud intelligimus, quod scriptum est, Sola est Medicina, qua opus est omnibus.

Ex his igitur, quae dicta sunt, conspicuum, & exploratum omnibus redditur, quanta sit Medicinae nobilitas, dignitas, & praestantia: Quàm sit vtilis, & necessaria, quanti sit ab omnibus tanquàm diuina facienda.

Nunc reliquum est, vt accedamus ad id, quod secundo loco propositum est; Illud primum asserentes, Naturam (Viri Firmani) in vos, ac res vestras, Matris optimae & non Nouercae officium expleuisse. Quis enim (vt caetera non commemorem) Terrarum, quas in Illustri Piceno possidet Firmana Ciuitas, Agri fertilitatem, Aeris salubritatem, Situs constitutionem, fluuiorum, Collium, & montium amaenitatem, & copiam non admiretur? Quis Oppidorum frequentiam, Archiepiscopatus eximiam

miam

miam dignitatem, & Cætera pacis, ac belli ornamenta non collaudet? Quis vestrorum Ciuium excelsam fortunam, & domi, & foris fortia facta, eximias virtutes, authoritatem, prudentiam, rei militaris, ac insimul legalis peritiam, scientiam, ac fælicitatem non maximè suspiciat? Firmum enim (vt legitur) à principio aduersam fortunam expertum, & in maximis angustijs versatum, continuis bellorum fluctibus agitatum, suorum Ciuium virtute (Deo opitulante) ità paulatim surrexit, vt primùm firma fides Romanorum Colonia à priscis illis nuncupatum fuerit: Tandem ad id, & Religionis, & fœlicitatis culmen euexit, ad quod paucissimis Ciuitatibus datum est: quod vt luce clarius nostris etiam temporibus redderetur, omne suum studium in doctrina, sapientiaquè bonarum Artium collocauit: idquè superioribus annis Totum fermè Picænum non sinè magna admiratione expertum est, cùm ad Omnia ferè Italiæ Gymnasia nuncios miserit, qui litteratos viros, omniumquè disciplinarum professores, magnis propositis præmijs, tantæ Vrbis nomine aduocarent. Quamuis enim in hac nobilissima vrbe Gymnasium iàm vetustum, & denuò nostris temporibus refectum floreat, in quo Viri Eruditissimi omnes liberales disciplinas magna cum laude profitentur, Eo tamen vos non contenti, Nouam Academiam accersitis deforis Doctoribus extruere constituistis. Tantus enim vos sapientiæ, ac bonarum litterarum amor tenet, vt nec vnum quidem vel honestissimo vestro desiderio obsistere, vel retardare animum vestrum potuerit.

Quò

Quò fit, vt iurè illud exclamare valeam. O fęlicem, terquè quaterquè fęlicem Firmanam ditionem, quàm rara admodum prudentia, grauiquè iudicio, tutissimo Oppidorum patrocinio subleuari, benignitate foueri, liberalitatequè nutriri hoc tempore contingit. Porrò qui actionis, administrationisquè vestræ modum, vitæquè rationem expendunt, non possunt non maximo perfundi gaudio, & ità exultare lætitia, vt quem in locum verè firmum vestra vos virtus extulit, cùm singulari beneuolentia, summaquè existimatione tueri, vos posse videant, prospiciantquè tantam de vobis Opinionem concitasse, vt Prouincijs, vel maximis prosperè gubernandis Vos haud indignos præstiteritis. Attendite, Attendite, quæso, laudes vestras (Viri Firmani) non adulatione aliqua, sed singulari Maiorum vestrorum, & vestra virtute conflatas. Vos sanctissimos, eximiosquè Viros, quorum memoriæ ad hæc vsquè tempora viguere, genuistis, qui nũc quoquè mortui non parùm huic Vrbi afferunt Ornamenti: Vos tanquàm scientiarum sacraria, imò fontes vberrimi per vniuersam Italiam iura Theologica, Philosophica, Ciuilia, Medica, cæterarumquè Artium fundamenta effunditis.

Quid dicam de re miliitari, de magnitudine animi, de fide, de constantia? Maiora sunt hæc, quæ breui possint explicari Oratione, dicam tamen, immò percurram liberè quid sentio; Cùm ex his Vrbs ista sibi nomen, decus, gloriam comparauerit. Quot (Dij immortales) fortissimi milites, quot bellicosissimi Duces exorti, quos

nisi

nisi scirem vobis, multò, quàm mihi esse notiores omnes, non equidem silentio præterirem. Illud tamen præterire nullo modo possum, quòd est à proximioribus locis frequenter vsurpatum: Plus ex hac Ciuitate militum, quàm ex his hominum; Plus ex hac Ducum, quàm ex alijs militum exoriri. Vndiquè vestra arma, vestri milites; Ducesquè vestri incredibili cum laude vagantur. Vndiquè gestarum, generandarumquè rerum magnitudine celebrantur. Nil magnificum, atquè præclarum agitur in re bellica, nihilquè magnum, & gloriosum, quòd non, Firmanorum Ducum ductu, auspicioquè geratur. Qui sunt, qui Romanum Pontificem Innocentium Quartum tutati sunt aduersus Federicum Secundum Imperatorem, Aethruria, Vmbria, Romandiolaquè aliqua ex parte bellum ipsi Pontifici indicente? Firmani; Qui sunt, qui ex plurimis beneficijs collatis in summos Pontifices, & etiam Imperatores, fuerunt nonnullis Priuilegijs, ijsque eximijs insigniti? Firmani: Qui sunt qui superiorem illam, & aprimè gloriosam victoriam aduersus Turchas eximijs gestibus illustrarunt. Firmani: Qui sunt, qui temporibus etiam hisce, & militum copia, & pecuniarum numeratione Sanctissimum Pastorem adiuuarunt? Firmani. Quinimò adeò soli Firmani, vt in his fœlicissimè conquiescat Amplissimus ille Senatus Venetus. Qui sunt, qui omnium gentium fortissimi, strenuissimi, bellicosissimi reputantur? O Natos ad gloriam Viros, ò Vrbem Domi, militiequè præclaram, ò Ciuitatem, cùm multùm pace, tùm maximè

bello

bello gloriosam, & omni laude, monumentisquè celebrandam. Quòd si hæc me tempora paulò liberius loqui paterentur, vestros vobis, qui nunc viuunt & Cæsares ostenderem, & Scipiones, sed tempori obsequendum est. Quæ prætereà fides, quæ singularis, inauditaquè constantia? Quem (obsecro) comperietis, vel ex tot præstantissimis, fortissimisquè Ducibus violatorem fidei, vel ex tot etiam innumerabilibus militibus, fuisse proditorem? Insita est vobis hæc virtus viri Firmani, & iàm vetustate ipsa confirmata, vt ad fidem, ad fortitudinem, ad gloriam omnes nati esse videamini. Repetantur huius initia Ciuitatis; Repetantur & processus: nihil vnquam fidelius per omnia inuenietur, nihil integrius, nihil hac vestra Ciuitate constantius; nihil vnquam postquàm ex Piceni ruinis Firmum conditum arbitrantur, neque factum, neque dictum dici potest, quod non sit summa, & fidei, & constantiæ admiratione dignissimum: Maiores enim vestri nunquam auaritia, neque dolo, sed gloria semper, atque virtute contenderunt, fidem rebus omnibus antéposuerunt, vt clarissimis sint litterarum celebrati monumentis.

Nonnè legistis, quòd tempore Pauli Emilij Pro Republica bellum administrantis contrà Perseum Macedoniæ Regem, Firmanam Cohortem in Castris fidissimam habuit? O fidem incredibilem, ò inauditam, inusitatamquè constantiam. Quinimò Cùm reliquæ Italiæ Coloniæ, Partim sequutæ fortunam, partim ingenti metu perterritæ ferè omnes à Romanis rupto fœdere defecissent,

geren-

te bellum Pompeio Strabone aduersus Duces earum Coloniarum; Firmani intrà Firmum Castra Pompei apposuerunt, & semper in fide atque in officio permansere. Quid dicam de Duce Exercitus Fęderici? quem cum Maiores vestri nollent in hanc munitissimam, præstantissimamquè Vrbem recipere, obsessi ab eo Duce, nullis commoti precibus, nulla denique iniecta formidine perterriti, Ducem vnquàm recipere voluerunt: Quamobrem Vrbem fame, & bello occupauit, & victori Exercitui suo destruendam, ac penitus comburendam tradidit: & Federicus adepto Imperio, propter admirabilem Firmanorum constantiam, de suæ gratiæ plenitudine in propriam, atquè antiquam libertatem Vrbem restituendo reformauit, Ei omnes possessiones, & iura, quæ anteà habebat, concedendo. O verè constans Firmum, & tanto constantiæ firmitudinisquè nomine, munereque dignissimum.

Adeò præclara est Virtus vestra, adeoquè diuina, vt vel hostibus ipsis admirationi fueritis non mediocri, neq; solùm ab Amicis ac socijs, sed ab hostibus, atquè alienis laudes fueritis amplissimas consequuti.

Magna sunt ista (Viri Firmani) atq; adeò magna, vt maiora quidem esse non possint, & quæ non solùm Orator, & quidem eloquentissimus, satis vnquàm enarrare non posset, sed nec animo complecti. Præstat igitur de his ad præsens silere.

Et ad vos studiosissimi Condiscipuli me conuerto, ne in Iliadas conuertatur Oratio, sicuit Cęsari Commilitones

 dicti-

dictitare milites. Vos (ò Florida Iuuentus,) Condiscipulos me vocasse debeat in hac renascentis studij infantia, ì ad hanc Artem præstantissimam capessendam cohortarer, ni antè hac, & si publicas legendi partes non exercerem, in domesticis lucubrationibus ab hoc ore pendere non vidissem. Eandem tamen diligentiam vobis polliceor, quâ & Plato cum Aristotele, & Socrates cum Alcibiade vsi fuere, ità vt quę deglutientur in scholis, ea in proprijs laribus disputando digerantur.

Gratias agerem Amplissimi Senatores, de tàm ingenti in me collato beneficio; Verùm gratiarum omnium expers, quomodò gratias habere contendet? Alcibiadis tamen sententiæ haud immemor, me tibi do, cùm nihil habeam, ergà Socratem grati animi signa præseferebat. Me Amplissimo Senatui Firmano, Nobilissimo Magistratui, ac vniuersæ huic Per Illustri Coronæ do, dedico, deuoueoque. Deus Opt. Max. huius mihi demandatæ Prouinciæ ingressum instruat, progressum dirigat, egressumque compleat. Dixi.

L. A. V. S. D. E. O.

Beatęque Virgini Deiparæ.

BIBLIOTECA ... ROMA

EPI-

EPITAPHIVM IPSIVS CAMILLI ANNO AETATIS SVAE. L.

GRANARVS mihi Mons ortum, Macerata priores,
At reliquas Artes Vrbs Patauina dedit.
Praxim Roma, prior dat Mons Rubianus honores,
Patria post sequitur, Cinguleumque Solum.
Elpidiana parat quartos, Gens Aesina quintos
Et rursus sextos innouat Elpidium.
Hinc me Firmani Medicum simul, atque docentem
Ducunt: hic Morbo sollicitatus atro
In Patriam moribundus eo: Me Patria dulcis
Suscipit: ac Nono Gens Fabriana vocat.
Mox Macerata tenet; sic hic sic degitur illic
Vita mihi: Mortem quis sciat? aut Tumulum?

De eodem D. Titi Francischini Epigramma.

VIrtuti Fortuna comes fit saepe, vel ipsa
Virtus habet fortis semina certa suae.
Oppida te quaerunt, Vrbes, Gymnasia, & omnes
Quid mirum, si te nunc Macerata tenet?

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

BIBLIOTECA